

# **Landesbibliothek Oldenburg**

**Digitalisierung von Drucken**

## **Martini Chemnitii, Doctoris Theologi celeberrimi, Harmonia Quatuor Evangelistarum**

Quam ab Eodem feliciter inchoatam ... D. Polycarpus Lyserus, et D.  
Johannes Gerhardus, ... Is quidem continuavit, Hic perfecit ; Opus  
Eruditionis Stupendæ, Orthodoxorum consensu approbatum, idemque tot  
Eruditorum desideriis adhuc expetitur

**Chemnitz, Martin  
Leyser, Polycarp  
Gerhard, Johann**

**Hamburgi, MDCCIII**

**VD18 90617681**

Caput XCVIII. Continens Historiam, Quomodo Christus Hierosolymam  
Venerit In Festo Scenopegiae, Et In Templo Docuerit Johan. 7. versic. 11.

**urn:nbn:de:gbv:45:1-18203**

CAPUT XCVIII.

CONTINENS HISTORIAM, QUOMODO CHRISTUS HIJEROSOLYMAM VENERIT IN FESTO SCENOPEGIÆ, ET IN TEMPLO DOCUERIT JOHAN. 7. versic. 11.

Postquam Dominus Jesus septuaginta discipulos in confinio Samariæ & Judææ abs se ablegasset, sicque magna ex parte omni suo comitatu se exonerasset, cum duodecim Apostolis residuum itineris Hierosolymam usque sic confecit, ut circa medium festivitatis eo devenerit. Magna prudentia Christus totam hanc profectio- nem instituit. Noluit statim initio una cum fratribus ascendere, ne stultæ ipsorum cupi- peditati, quæ ad captandam vanam gloriam di- recta erat, assentiri videretur. Noluit item, tanto cum comitatu fratrum, Apostolorum & discipu- lorum Hierosolymam tendere, ne Judæos magis irritaret, quasi regnum affectaret. Et quia Hie-

rosolymis sibi insidias strui non ignorabat, no- luit iter ingredi; dum adhuc omnes via frequen- ti Judæorum eodem proficiscentium multitudine repleta erant, ne aliorum indicio proderetur. Ne tamen officio suo, quod à patre ipsi deman- datum erat, deesse videretur, fratres ex inter- vallo subsecutus est, ita ut circa medium festi Hierosolymam veniret. Interim hac ipsa sua mora animos populi expectatione sui magis ac- cendit, ut sic majore cum fructu suo tempore in publicum prodire posset. Dubium ergo est nul- lum, festo Scenopagiæ, & iis, quæ in eo peracta sunt, hunc ipsum locum in Harmonia deberi: si- quidem nusquam in Evangelistis quicquam occur- rit, quod interseri possit.

CHRISTUS IN SCENOPEGIÆ FESTO DOCET HIJEROSOLYMIS IN TEMPLO JOHAN. 7.

- 11. Οἱ ἔν ἰουδαίῳ ἐζητεῖν αὐτὸν ἐν τῇ ἑορτῇ, καὶ ἔλεγον· πῶς δύνεικεῖν;
- 12. Καὶ ῥοιγῆσμός τις ἐστὶν αὐτῷ ἐν τοῖς ὄχλοις. οἱ μὲν ἔλεγον, ὅτι ἀγαθὸς ἄνθρωπος ἄλλοι δὲ ἔλεγον, ὅτι ἀλλὰ πλανᾷ τὸν ὄχλον.
- 13. Οὐδεὶς μὲν τῆ περὶ ῥησὶα ἐλάλει περὶ αὐτοῦ, ἅτις τὸν Φῶς εἶπεν ἰουδαίων.
- 14. Ἦδη δὲ ἡ ἑορτὴς μεσσησθε, ἀπέστειλε ὁ Ἰησοῦς εἰς Ἱερὸν, καὶ ἐδίδασκε.
- 15. Καὶ ἔθωμάζον οἱ Ἰουδαῖοι, λέγοντες· πῶς ἔτι ῥεάμ- ματα οἶδε, μὴ μεμαθηκώς;
- 16. Ἀπεκρίθη αὐτοῖς ὁ Ἰησοῦς, καὶ εἶπεν· Ἡ ἐμὴ διδασχὴ, ὅτι ἐστὶν ἐμὴ, ἀλλὰ ἔπεμψάντός με.
- 17. Ἐάν τις θέλῃ τὸ θέλημα αὐτοῦ ποιῆν, γνώσεται περὶ τῆ διδασχῆς πατέρα ἐκ τῶ θεοῦ ἔσθιν, ἢ ἐγὼ ἀπὸ ἐμαυτοῦ λαλῶ.
- 18. Ὁ ἀπὸ ἐαυτοῦ λαλῶν, τί ὁδοῦν τὴν ἰδίαν ζητεῖ. ὁ δὲ ζη- τῶν τὴν ὁδοῦν τὴν πέμψαντός αὐτὸν, ἔτι ἀληθὴς ἄνθρωπος, καὶ ἀδικία ἐν αὐτῷ οὐκ ἐστίν.
- 19. Οὐ Μωσὴς δέδωκεν ὑμῖν τὸν νόμον, καὶ ἔδειξεν ὑμῶν ποιοῖ τὸν νόμον, τί με ζητεῖτε ἀποκτείναι;
- 20. Ἀπεκρίθη ὁ ὄχλος καὶ εἶπε· Δαιμόνιον ἔχεις, τίς σε ζη- τεῖ ἀποκτείναι;
- 21. Ἀπεκρίθη ὁ Ἰησοῦς καὶ εἶπεν αὐτοῖς· Ἐν ἔργον ἐποίησα, καὶ πάντες θαυμάζετε.
- 22. Διὰ τῆ Μωσῆς δέδωκεν ὑμῖν τὴν περιτομῆν, ἃ καὶ ὁ πα- τὴρ Μωσῆος ἔσθιν, ἀλλὰ ἐκ τῶ πατέρων, καὶ ἐν ἑσάββα- τῷ περικτενεῖτε ἄνθρωπον.
- 23. Εἰ περιτομῆν λαμβάνει ἄνθρωπος ἐν ἑσάββατῳ, ἵνα μὴ λυθῆ ὁ νόμος Μωσῆος, ἢ ἐμοὶ χαλῶτε ὅτι ὄλον ἄνθρωπον ὑμῶν ἐποίησα ἐν ἑσάββατῳ;
- 24. Μὴ

- 11. Jews ergo querebant eum in festo, & dicebant: ubi est ille?
- 12. Et murmur multum erat in turba de eo. Quidam enim dicebant, Bonus est. Alii autem dicebant, Non, sed seducit turbam.
- 13. Nemo tamen palam loquebatur de illo, propter metum Judæorum.
- 14. Cum autem jam dimidium festi peractum esset, ascendit Jesus in templum, ac docebat.
- 15. Et mirabantur Judæi, dicentes: quomodo hic literas scit, cum non didicerit?
- 16. Respondet eis Jesus, & dixit: mea doctrina non est mea, sed ejus qui misit me.
- 17. Si quis voluerit voluntati ejus obtemperare, cognoscat de doctrina, utrum ex DEO sit, an ego à meipso loquar.
- 18. Qui à semetipso loquitur, gloriam propriam quarit. Qui autem quarit gloriam ejus, qui misit ipsam, hic verax est, & injustitia in illo non est.
- 19. Nonne Moses dedit vobis legem, & tamen nemo ex vobis factis prestat legem? quid me quaritis interficere?
- 20. Respondit turba, & dixit: demonium habes; quis te quarit interficere?
- 21. Respondit Jesus, & dixit eis: Unum opus feci, & omnes miramini.
- 22. Propterea Moses dedit vobis circumcisionem, non quia ex Mose sit, sed quia ex patribus, & in Sabbato circumciditis hominem.
- 23. Si circumcisionem accipit homo in Sabbato, ut non solvatur lex Moysi, mihi indignamini, quod totum hominem sanum fecerim in Sabbato?

24. Μὴ

- 24. Μη κρινετε κατ' ὄψιν, ἀλλὰ τὸ δίκαιον κρίνετε κατὰ τὸν νόμον.
- 25. Ἐλεγον ἄν τινες ἐκ τῶν Ἱεροσολυμιτῶν· Οὐχ ἔστὸς δὲν ὁν ἡγεῖται ὁ σοφιστής;
- 26. Καὶ ἰδε παρήρησα λαλεῖ, καὶ οὐδὲν αὐτῷ λέγουσι, μήποτε ἀληθῶς ἐγγώσσω οἱ ἀρχόντες, ὅτι ἔστὸς δὲν ἀληθῶς ὁ σοφιστής.
- 27. Αἰδῶ τὸν οἰδόμενον πρὸς δὲν, ὃ ἡχοῖς ὅταν ἐρχεῖται, ἔδειξεν γινώσκει πρὸς δὲν.
- 28. Ἐκραβέν ἄν ὁ Ἰησοῦς, ἐν τῷ ἱερῷ διδασκῶν, καὶ λέγων· καὶ με οἰδατε, καὶ οἰδατε πρὸς ἐμὶ, καὶ ἄν ἐμαυτὸν οὐκ ἐγγώσσω, ἀλλὰ δὲν ἀληθινὸς ὁ πέμψας με, ἄν ὑμεῖς οὐκ οἰδατε.
- 29. Ἐγὼ δὲ οἰδα αὐτὸν, ὅτι παρ' αὐτοῦ εἰμι, κακῶν με ἀπέστειλεν.
- 30. Ἐκρίνω οὖν αὐτὸν πᾶσι, καὶ ἔδειξεν ἐπέβαλεν ἐπ' αὐτὸν πρὸς χεῖρας, ὅτι ἔπαυ ἐγγώσσω ἡ ἔρα αὐτοῦ.
- 31. Πολλοὶ ἦν ἔκ τῶν ὄχλου ὁπίσθεν εἰς αὐτὸν, καὶ ἔλεγον· ὅτι ὁ σοφιστής ὅταν ἐλθῇ, μὴ πλείονα σημεῖα γὰρ πυνθῆσθαι ἂν ἔτ' ἐπισησέν.
- 32. Ἦκουσαν οἱ Φαρισαῖοι καὶ ὄχλου γογγύζοντες ἐπ' αὐτοῦ πᾶσι, καὶ ἀπέστειλαν οἱ Φαρισαῖοι καὶ οἱ ἀρχιερεῖς ὑποφύτας, ἵνα παύσωσιν αὐτόν.
- 33. Εἶπεν ἄν αὐτοῖς ὁ Ἰησοῦς, ἔτι μικρόν χρόνον μεθ' ὑμῶν εἰμι, καὶ ὑποφύτω πρὸς τὸ πέμψαντά με.
- 34. Ζητήσατέ με, καὶ ἔχ' εὐρήσατε καὶ ὅπου εἰμι ἐγὼ, ὑμεῖς δὲ οὐκ οἰδατε ἐλθῆναι.
- 35. Εἶπεν ἄν οἱ Ἰουδαῖοι πρὸς αὐτόν· Πού ἔτ' ἐπισησέν περὶ ἐνδοξῶν, ὅτι ἡμεῖς οὐκ εὐρήσομεν αὐτόν; καὶ εἰς πᾶσι διασποράν τ' ἐγγώσσω μελλῶν περὶ ἐνδοξῶν, καὶ διδάσκοντες ἐγγώσσω;
- 36. Τίς δὲν ἔτ' ἐπὶ λόγῳ ἄν εἶπε, ζητήσατέ με, καὶ ἔχ' εὐρήσατε, καὶ ὅπου εἰμι ἐγὼ, ὑμεῖς δὲ οὐκ οἰδατε ἐλθῆναι;

- 24. Nolite iudicare secundum aspectum, sed iusto iudicio iudicate.
- 25. Dicebant ergo quidam ex Hierosolymitanis: Nonne hic est, quem quaerunt interficere?
- 26. Et vide, palam loquitur, & nihil ei dicunt. Num verè cognoverunt principes, hunc esse verè Christum?
- 27. Sed hunc novimus, unde sit: Christus cum venerit, nemo scit, unde sit.
- 28. Clamabat ergo Iesus in templo, docens, ac dicens: Et me nostis, & unde sum, nostis. Et à me ipso non veni, sed est verax, qui misit me, quem vos non nostis.
- 29. Ego verò novi cum, quia ab ipso sum, & ille me misit.
- 30. Querebant ergo cum apprehendere, & nemo misit illum manus, quia nondum venerat hora eius.
- 31. Multi autem è turba crediderunt in eum, & dicebant, Christus cum venerit, num signa plura edet his, quae hic edidit?
- 32. Audierunt Pharisei turbam murmurantem de illo haec, & miserunt Pharisei & Principes sacerdotum ministros, ut apprehenderent eum.
- 33. Dixit ergo eis Iesus, adhuc pusillum temporis vobiscum sum, & ab eo ad eum, qui me misit.
- 34. Queretis me, nec invenietis. Et ubi ego sum, vos non potestis venire.
- 35. Dixerunt ergo Iudaei inter sese: quo hic iturus est, quod nos non inveniemus eum? Num in dispersionem gentium iturus est, & docturus gentes?
- 36. Quis est hic sermo, quem dixit, queretis me, & non invenietis: Et ubi ego sum, vos non potestis venire?

Periocha huius Historiae.

Quandoquidem Christus cum cognatis Hierosolymam ad festum Scenopegiae adscendere recusavit, & illi ipsi non credebant in ipsum, quae de causa etiam Dominus tali sodalitate, quod ipsum Pontificibus prodere poterat, se adungere noluit: dubium est nullum, ipsos mox Hierosolymis sparsisse, quomodo ipsum hortati fuerint, ut religionis ergo secum eo adscenderet, sed nihil efficere potuisse. Inde *Judei*, hoc est, primores Iudaeorum (opponuntur enim postea turbis) existimabant, se hac ratione ministerium ipsum suspectum reddere posse turbis, quod hominum conspectum fugeret, quasi causae suae non fidens. Movent igitur & contumeliose spargunt inter turbas hanc quaestionem: *ubi nunc est ille?* *ecce ille dicitur*, cuius nomen ex odio & per contemptum exprimere noluerunt. Sicut etiam Matth. 27. v. 63. dicunt: Recordati sumus, quod *ecce ille dicitur*, impostor ille dixit. Sed DEUS, qui suis omnia convertit in bonum, idem etiam hic facit. Nam hac occasione excitata fuerunt studia populi, quibusdam probantibus, aliis improbantibus ipsum. Sed illorum, qui Christo aequiores erant, & partes ipsius defendebant, vix tenues susurri erant, propter metum Iudaeorum, cum ho-

stes aperte & clara voce contra ipsam clamarent. Quod Johannes dicit, *γογγυσμός πλῆθος*, *multum murmur erat in turbis de illo*: sciendum Hebraeos duo habere vocabula, quae huic Graeco respondent: unum *ἤ*, quod est alicui se opponere, obloqui & cum querimonia alicui resistere. Sicut Iudaei *διεγογγύσω* cum murmure se opposuerunt Moysi & Aaroni. Exod. 16. v. 2. & 7. & alibi. Alterum est *ἔ*, quod significat clam & per susurros aliquid loqui. Sicuti usurpatur Deuter. 1. v. 27. & Psal. 106. v. 25. Utrumque ergo hic intelligi potest: & quod aliqui aperte se Christi honori & doctrinae, de quibus sermo erat, opposuerint, dicentes: *seducit turbam*, & quod alii, qui bonum ipsum esse censuerunt, vix leviter inter se de ipso murrare ausi fuerint. Attende hic 1. quae sit species & forma Ecclesiae. Omnes Iudaei expetebant & expectabant Messiam. Jam autem per triennium integrum, inde ab initio praedicationis Johannis Baptistae, audiverunt adesse Messiam, & appropinquasse regnum caelorum. Sed quis credidit auditui ipsorum? & cui Domini brachium fuit revelatum? Jesa. 53. v. 1. Tyrannis sacerdotum & Pontificum aperte se opposuit veritati, & tanopere pressit sua iniqui-

Harm. Tom. I.



iniquitate multitudinem, ut vix elancularii, sermones tuto de Christo fierent. Interim dissensiones fuerunt in turba, & diversa de Jesu judicia: aliis Jesum bonum esse affirmantibus, aliis seductorem calumniantibus. Et tamen in hac ipsa confusione aliqua fuere vera Ecclesie membra. Non itaque turbemur dissensionibus & concertationibus, quas in veritatis doctrina passim oriri cernimus: & si experiamur, alicubi vix tenues susurros de veritate audiri, ubi tamen mendacium & falsa doctrina plenis buccis & sonora voce proferuntur. Hæc eadem fuit ipsius Christi fortuna, dum in his terris agebat: qua nos meliorem non expectemus.

Cæterum hic querere lubet: cum Jesuitæ semper urgeant visibilem notam Ecclesie, si quis Gentilium tum temporis sese veræ Ecclesie adjungere voluisset, quamnam habuisset notam in tanta confusione Judaicæ Ecclesie, cui parti se adjungere debuisset? Hic certè Jesuitæ, juxta notas Papisticas, mihi responsurus esset: ad Pontifices, Sacerdotes & Clerum. Hi enim fuerunt columna Ecclesie: his gubernatio ejusdem à DEO ipso fuit commissa. Ergò debuisset talis gentilis cum *Judeis* primoribus à veritate aberrasse, Christum deseruisse, & impietati eorum adhæsisse? Pudeat vel tandem Pontificios suarum notarum, quibus quis in infernum seduci potest. Nos pendemus ex ipsius DEI verbo: ubi illud sincere in Ecclesia sonat (imò si non sonet, sed tantum tenues de eo susurri audiantur) & sincero sacramentorum usu juxta Christi institutionem confirmatur, ibi veram Ecclesiam esse certius novimus, quam si illi nobis Pontificem triplici corona redimitum, cum mille larvatis Episcopis & toto ventricoso clero commonstrent. 2. Observemus, unde hæc dissensiones oriuntur. Non aliunde, quam quia *ψυχικός ἀνθρώπων*, & naturalis homo non percipit ea, quæ sunt spiritus DEI. 1. Cor. 2. v. 14. In eo Judæi omnes erunt consentientes, quod miseris oppressi expectabant Messiam liberatorem. Postquam verò is, ex DEI decreto se illis obtulit, plerique eum rejecerunt: hac de causa, quia tam humilem & in speciem abjectum recipere noluerunt. Reliqui tamen, qui *φρόνημα* carnis captivabant in obsequium DEI, eum non sunt aspernati, sed fide, ut cunque adhuc infirma, susceperunt. Discamus ergò, non tantum vindicem salutis nostræ appetere, quod natura omnes faciunt: sed etiam in illo liberatore, quem & qualem DEUS offert, acquiescere. Hoc si hodie Pontificii facerent, & salutem merito Christi partam, nobisque per fidem gratuito imputatam gratis animis acceptarent, nec operum suorum justitiam stabilire niterentur, Roman. 10. v. 3. jam inter nos & ipsos sopita esset controversia omnis. 3. Videmus denique quantum licentia impiorum crescat, quando intelligunt magnates saniori doctrinæ esse iniquiores. Hic plerique omnes in turba de Christo disputant, est impostor, *seducit plebem*, cum tamen nos sciamus Jesu factam esse atrocissimam injuriam. Unde verò hæc insimulatio? Nisi quia Christus superstitiones Judæorum & humanas traditiones patrum taxavit, & viam DEI in veritate docuit, sicut ipsi confessi sunt, Matth. 22. v. 16. Itanostra ætate tum Lutherus tum omnes sinceri

verbi divini præcones, tanquam impostores & seductores traduntur, nulla alia de causa, quam quia (ut nimis verè Erasmus dixit) Lutherus tetigit coronam Papæ & monachorum ventres. Et quod cum primis dolendum est, sicuti in præfati loco Christo palam convitari licuit, ejusdem verò innocentiam defendere non satis tutum fuit: ita & hodie veritatis ministros maledictis laceſſere cuivis permittitur: at eorundem patrocinium suscipere ignominiosum videtur. Sed patienter cum Christo eandem hanc sortem patiamur. Nam si una sufferimus, etiam correpnabimus: 2. Tim. 2. v. 12.

Cæterum quarta die festi, occupationibus ceremoniarum, quæ festi propriæ erant, ut Theophylactus existimat, absolutis, Christus ex improvviso ascendit in templum, ibidemque publicè docuit. Verba quidem concionis non describuntur: testatur tamen Johannes, ita ipsum docuisse, ut mirarentur Judæi, & dicerent: *Quomodo hic literas scit, cum non didicerit?* Sciebant quomodo Jesus fuisset educatus, & quod artem fabricem cum putatio patre suo Josepho tractarit, ad tricesimum usque annum: unde & faber à sympatriotis dictus est. Marc. 6. v. 3. Vulgus quoque post reditum ex Babylone, prout colligere licet ex Nehem. 13. v. 24. non noverat loqui Judaice, sed loquebatur vel Azotice vel Syriace, vel Græce, ob commixtionem cum gentibus. Quia verò illi, qui scripturas explicaturi, Hebrææ linguæ notitiam habere cogebantur. Ideò post reditum ex captivitate Scholæ sunt institutæ, in quibus *ἑβραϊκά* literas tractarunt: sicuti Daniel cum sociis, Daniel. 1. v. 4. in schola Babylonica literas & linguam Chaldæorum addidit. Quemadmodum ergò olim *מורי מן הַגְּמָלוֹת* pro eruditis & literatis sunt habiti: ita postea *מורי* literas pro studiis cæperunt usurpare. Prout accipitur Actuum 26. v. 24. *ἡ πολλὰ γράμματα* multæ literæ te ad insaniam convertunt. Et 2. Timoth. 3. v. 15. à puero *ἡ ἑσθὴ γράμματα*, sacras literas didicisti. Quia verò hoc Jesum à puero non fecisse Judæi noverant, inde hæc quæstio oritur: *quomodo hic literas novit?* Quæ ipsa tamen quæstio, quia non omnes similiter erga Jesum fuerunt affecti, diversimodè accipi potest. Illi enim, qui minus mali erant, mirabantur: quod cum literas non didicisset, tam eruditè tamen doceret, Scripturam citaret, ejusque veram intelligentiam dextrè proponeret. Judæi verò, hoc est, Scribæ & Pharisei, cum ex hoc ipso, quod sine magistro literas didicisset, divinam ejus scientiam & auctoritatem colligere debuissent, pro sua invidia hoc in calumniam trahunt, & dicunt: quid potest ille præclari vel boni docere, qui literas non didicit? Ergo ex Magia ista profert, & doctrina ipsius est dæmoniaca. Inde verò Jesus occasionem sumpsit disserendi de sua doctrina, persona & ministerio, ut audirent.

Quod Dominus Jesus, quamprimum Hierosolymam venit, statim ad templum diverit, ibique docet, eo ipso suis successoribus & ministris exemplum præbet, tum quod nusquam frequentius aut libentius, quam in templis versari debeant, tum quodnam præcipuum eorum exercitium in iisdem esse debeat. Nimirum, ut studeant docere po-

re populum. Dum enim alii vacabant ceremoniis & sacrificiis, interim Christus *docebat populum*. Non quod ceremoniæ in templis prorsus sint negligendæ, præsertim quæ faciunt ad honorem DEI, & ad excitandam animorum devotionem: quales sunt decantatio hymnorum, recitatio precum, lectio certarum sectionum ex sacris Bibliis, & imprimis sacramentorum sincera tractatio. Sed quod doctrina verbi facem reliquis omnibus præferre debeat. In Psalm 93. v. ult. dicit David: Sanctitudo decus est domustuæ, Domine, in longitudine dierum. Unde autem ista sanctitas? nisi ex auditu verbi DEI, ut post conceptam fidem homines obedientiæ studeant. Unde Christus precatur: Sanctifica eos Pater, in veritate: sermo tuus veritas est. Johan. 17. v. 17. Deinde in Judæis videmus, quomodo invidia vitium hominum oculos excœcet, ut laudanda non tantum non laudent: sed insuper per calumniam ceu diabolica carpant & rejiciant. *Mirabantur Judæi, quod Christus doceret, qui literas non didicisset.* Hoc ipsum causam præbere debuisset, ut divinam virtutem in ipso agnoscerent, aut saltem serio & majori cum diligentia inquirerent, unde hoc proveniret. Sed ipsi invidiæ vitio laborantes, à malo demone hoc profectum judicant. Omnes igitur hoc vitium, ceu animi tineam & cogitationum tabem fugiant. Est enim fœcunda pernicies, radix omnium malorum, fons cladium, seminarium delictorum, materia culparum: ut eleganter Cyprianus in Serm. de invidia scripsit.

Nunc Christi responsionem etiam audiamus. Annotavit autem Johannes saltem capita disputationis Christi cum Judæis. Ita ut non conscripserit continuam ejus orationem; seu integram concionem: sed tantum præcipua membra doctrinæ, quæ usque ad ultimum festi diem tractavit, contraxerit. Illorum sunt quinque: quæ ordine considerabimus. I. Primò reddit Jesus rationem, quare noluerit in scribarum scholis institui, educari & literas discere: nimirum propterea, ut quando sine literis excellentissimus Doctor prodiret, illud ipsum testimonium esset, doctrinam suam non in terra ab hominibus excogitam, sed ex cœlo ex sinu patris allatam esse. Ideò quasi per concessionem ipsis respondet. *Doctrina mea non est mea, sed ejus, qui misit me.* Hoc non ita exponendum est, sicuti quidam faciunt, quasi humana natura aliud doceret, quam divina, ex quo dissidium naturarum sequeretur. Sed intelligendum est de officio legationis, quo fungebatur, quod ea, quæ in legatione injuncta essent, doceret. Vult ergò dicere: Vos me nudum & contemptibilem hominem, imò seductorem esse arbitramini, & cum admiratione me docentem auditis, inter vos disputantes, unde proveniat, quod tanta docendi facultate sim præditus. Sed si vobis ipsis in memoriam revocaretis, quid olim DEUS de magno Propheta Messia in mundum mittendo Deut. 18. v. 18. per Moysen dixisset: Ego ponam verba mea in ore ejus, loqueturque ad vos omnia, quæ præcepero illi, tum facile colligere possitis, unde mihi facultas docendi data sit, & quis Ego sim: nimirum legatus DEI ad vos & universum genus humanum, ut vos erudiam de ipsius voluntate, & vera via ad salutem. Et quia sic appositè ad clancu-

larios ipsorum sermones, quos tacito murmure inter se mussitabant, respondebat, vel ex illo unico intelligere poterant, Dominum etiam arcanorum conscium, ac proinde aliquid homine majus esse. Hoc est primum membrum doctrinæ hujus festi.

Ex quo nos illud r. discamus, qui factum sit, quod Christus ad munus Apostolicum idiotas & piscatores, omnium literarum & disciplinarum ignaros, vocavit & promoverit: cum ex filiis Sacerdotum, qui in scholis scribarum instituti fuerant, eligere potuisset. Imò non semel, sed aliquoties (ut etiam Matth. 8. v. 19.) Scribæ sese obtulerunt, sed ipse eos rejecit. Nimirum hoc fecit eo fine, ut sic re ipsa doceret, negotium Evangelii non esse humanum, sed divinum. Solus enim DEUS derepente talem sacræ scripturæ cognitionem hominibus infundere potest, qualem Apostoli habuerunt. Unde etiam Synedrium Hierosolymitanum Actor. 4. v. 13. audit, videt & miratur *πρεσβυτεριον* Petri & Johannis, quod non illiterati & idiotæ essent, tanta tamen dexteritate Scripturas tractarent, ut ipsi eis minimè resistere possent. Eodem argumento jam olim usus fuerat Propheta Amos, adversus Amasiam sacerdotem idololatram, quicum ex territorio Israelis abire jussit, cum ei responderet: Ego non sum Propheta, nec filius Prophetæ, sed armentarius & vellicans sycomoros: Dominus autem tulit me, cum sequeretur gregem, & dixit: vade propheta ad populum meum Israel. Amos 7. v. 14. Hodie tamen, postquam miraculosa illa *χαρισματα* & dona Spiritus sancti deserunt, alia est ratio: Non est verbi ministerium sartoribus, sutoribus & consimilibus farinæ idiotis commendandum. Hi enim non sunt potentes, ut vel in doctrina sana adhortentur, vel contradicentes arguant, Tit. 1. v. 9. Sed, quantum fieri potest, eligendi sunt tales, qui ab infantia sacras literas didicerunt, 2. Timoth. 3. v. 15. ut possint sermonem veritatis *εὐαγγελιον*, & depositum sanctæ doctrinæ custodire, quod idiotæ difficulter sunt facturi. 2. Ex hoc membro etiam illud discamus, in Ecclesia DEI nullam doctrinam sonare debere, præter eam, de qua certo pronunciare & confirmare possimus, eam cœlestis Patris doctrinam esse. Cum enim Ecclesia sit DEI domus, æquum est, ut in ea nullius præterquam ipsius Patrisfamilias vox audiatur. Si quis autem porrò quærat, quanam sit illa cœlestis doctrina? Ei respondemus: Illam, quæ Scripturæ est analogica, in libris Veteris & Novi Testamenti continetur, atque est analogia fidei. Hæc enim habet testimonium, quod sit *θεοπνευστος*, à DEO inspirata. 2. Timoth. 3. v. 16. Hanc publicè in Ecclesia sonare, hanc privatim scrutari decet. Hominum autem traditionibus se frustra colli, Christus Matth. 15. v. 9. ex Jesaia docet. Ideò Petrus graviter monet 1. Epistol. cap. 4. v. 11. Si quis loquitur, loquatur eloquia DEI. Et Actor. 17. v. 11. Berrhoenses hoc nomine commendantur, quod quotidie domi in scripturis scrutati sint, utrum ea, quæ ex Paulo & Sila publicè audiebant, quoque ita se haberent. Si verò in Ecclesia hæc sola doctrina, quæ DEI Patris in Scriptura est, valere & vigere debet? unde ergò merita Sanctorum? unde meritum congrui & condigni? unde pur-

de purgatorius ignis? unde indulgentiæ papales? unde flagellationes corporum? unde sexcenta alia, quæ in Pontificia Ecclesia videntur & audiuntur? de quibus in æternum nunquam dicere possunt, esse eam doctrinam cœlestis Patris. 3. Denique præbet Christus hic etiam exemplum omnibus verbi ministris, mansuetudinis & modestiæ. Mansuetudinis in eo, quod diram illam suspicionem, qua insimulabatur, quasi facultatem docendi à diabolo didicisset, eo quod in juventute literarum studiis non fuisset institutus, adeo leniter remouet. Remouet tamen. Ita patienter nos feramus, debita tamen gravitate simul refutemus calumpniam illam, quam Jesuitæ plenis buccis in Ecclesiam Christi evomunt, quasi Lutherus Satanam Magistrum habuerit, à quo doctrinam Evangelicam sit edoctus. Si patrem familias Beelzebub vocarunt: quanto magis domesticos ejus? Matth. 10. v. 25. Modestiæ, quod cum verè affirmare potuisset, illam doctrinam non minus esse suam, quam patris, eo quod Pater & ipse unum sint. Johan. 10. v. 30. tamen propter assumptam humanitatem, & officium Redemptionis se humiliat, omnemque illam laudem & gloriam soli Patri adscribit. Hoc imitentur omnes præstantioribus donis à DEO instructi, ut non sibi sed DEO omnem gloriam tribuant, & cum Paulo dicant: Gratia DEI sum quicquid sum, gratia ejus in me non fuit vacua. 1. Corinth. 15. v. 10.

II. Secundum membrum doctrinæ Christi in festo Tabernaculorum hoc fuit: quod docuit, nemini sine exceptione credendum, sed unius cujusque, ac proinde etiam suam doctrinam examinandam esse, ut constet, an sit ex DEO, an verò quis ex semetipso loquatur. Et tria ponit *κρίσις* in hac inquisitione. Sed audiamus verba Christi. *Si quis voluerit voluntati ejus, qui misit me, obtemperare, cognoscat de doctrina, utrum ex Deo sit, an ego à meipso loquar.* His verbis Christus nequam adstruit liberi nostri arbitrii vires, quasi in cujusque propria naturali voluntate consistat, ut intelligat, utrum doctrina Christi sit ex DEO, an ab hominibus. Sicut Pontificii Doctores hæc verba eo modo accipiunt. Sed tantum hoc vult dicere. Si quis serium habeat propositum, quod velit tantum DEI voluntati obsequi, nec sit adductus affectibus gratiæ vel odii, quo Judæi tum adversus Christum occupati erant: sed habeat hoc studium, quod velit suum intellectum & voluntatem DEI in obsequium addicere. Qui denique in timore DEI, tali proposito veritatis doctrinam inquirat, ut quam DEI voluntatem esse agnoverit, eam amplecti & sequi sit paratus: illi non defuturum Spiritum sanctum, sed per suam gratiam in veritatis viam eum deducturum. Tale autem propositum non habet animalis homo, ex liberi sui arbitrii viribus: verum necesse est, ut jam à Spiritu sancto sit regeneratus. Sicuti in illo ipso cætu etiam nonnulli erant, qui ante hæc baptizati, Spiritu sancto donati erant, & licet languidè, suo tamen modo pro mensura fidei concessa in Christum credebant. De his usurpare possumus illud Pauli: Spiritualis homo dijudicat omnia. 1. Cor. 2. v. 15. dum interim animalis nihil percipit eorum, quæ sunt Spiritus DEI.

Porro *κρίσις*, quæ Jesus ponit, juxta quæ Doctor quispiam una cum sua doctrina examinari & dijudicari potest, sunt hæc tria. 1. Ut *missus à Deo*, hoc est, legitimam habeat vocationem. Qui enim sponte sua currunt, non missi, Jerem. 23. v. 21. ut faciunt phanatici, illi non sunt audiendi. Jerem. 27. v. 16. Est autem vocatio duplex. Alii enim non ab hominibus neque per homines, sed immediate ab ipso DEO, & per ipsum DEUM vocantur & mittuntur ad ministerium. Sicuti hoc modo DEUS olim, nullo intercedente humano medio vocavit Patriarchas, Prophetas & Apostolos. Et qui hoc modo vocantur, habent testimonium miraculorum, seu literas credentiæ. Sic Moses Exod. 4. v. 30. vocationem suam coram Israelitis miraculis & signis comprobavit. Et Christus Matthæi 10. v. 1. Apostolis dedit potestatem immun-dorum spirituum, ut eos ejicerent, & ut omnem languorem curarent. Paulus denique 2. Cor. 12. v. 12. testimonia Apostolatus sui ponit signa, prodigia, virtutes. Quapropter phanaticis, qui occurrunt, & jaçant DEUM sibi apparuisse, Dominum sibi locutum esse, Patrem hæc vel illa mandasse, à spiritu se excitatos esse, non statim credendum est. Monstrent prius literas Credentiæ & testimonia suæ missionis. Hodie enim mediata illa vocatio desit: & DEUS alia ratione per Ecclesiam, legitimo tamen modo, personas certas vocat & constituit ad ministeria Ecclesiastica. Timotheus certè Ephesinæ Ecclesiæ Episcopus, non immediate à DEO, sed per Paulum vocatus est ad presbyterium. 1. Timoth. 4. v. 14. Idem habuit potestatem alios constituendi presbyteros. 1. Timoth. 3. v. 1. Sicuti etiam Tito in mandatis dedit, Titum 1. v. 5. ut in insula Creta oppidatim constitueret ministros. Ad hæc formam præscripsit, quomodo talis vocatio ordine, ritè & legitime fieri debeat. Illi autem, qui hoc modo mediata sed legitime tamen vocantur, etiam à DEO mittuntur. Sicuti Actor. 20. v. 28. de ministris Ecclesiæ Ephesinæ dicitur: quod Spiritus sanctus eos posuerit Episcopos. Et Paulus 2. Corinth. 5. v. 18. non minus de Timotheo quam de se scribit: DEUS dedit ministerium reconciliationis, & posuit verbum reconciliationis in nobis. Nomine igitur CHRISTI legatione fungimur, DEO exhortante per nos. Hæc est prima nota veri Doctoris, ut certa & legitima vocatione sit instructus. Per tales enim DEUS vult esse efficax, ut, si non negligent gratiam DEI, quæ data est cum impositione manuum ministerii, debet attendant doctrinæ, & seiplos salvos faciant, & eos qui ipsos audiunt. 1. Timoth. 4. v. ult.

Alterum *κρίσις* est, ut non loquantur à semet ipsis, sed afferant doctrinam à DEO acceptam & commissam. Hinc DEUS Jesaiæ dixit, c. 51. v. 16. Posui verba mea in ore tuo. Idem Jeremiæ dictum est, cap. 1. v. 9. Et Ezechieli cap. 3. v. 17. Fili hominis, speculatorum dedi te domui Israel: & audies de ore meo verbum, & annuntiabis eis ex me. Unde etiam usitata illa phrasis apud Prophetas provenit: Os Domini locutum est. Item, & dixit Dominus. Hinc illi, qui immediate vocantur, habent testimonium Spiritus, quod in doctrina non errent: quia eam hauserunt ex ore Domini. Reliqui

Reliqui verò ministri, qui mediàtè vocati sunt, doctrinam ab illis accipere debent: & quatenus doctrinam suam ex fontibus Israelis hauriunt, eamque Prophetarum & Apostolicorum scriptorum testimoniis probare possunt, eatenus non ex seipsis loquuntur, sed loquuntur *ὡς λόγια θεῶν*, tanquam eloquia DEI. 1. Petr. 4. v. 11. Si quid verò proponant extra vel contra scripturam, illud non audiendum nec suscipiendum, quia destituitur verò *καταθεῖσθαι*, quod doctrina veritatis habere debebat. Nam & ipsa missio seu legatio, cuius munere funguntur, istud postulat. Boni & fidei legati est, bona fide proponere id, quod à principe suo in mandatis accipit: Nihil de suo affingere, nec quicquam omittere, ne se fines mandati excessisse argui possit. Sic boni & fidei ministri est, DEI verbum purè & fideliter proponere; nihil in cuiusquam gratiam dissimulare, nihil in cuiusquam odium liberalius proloqui. Et hoc adeò strictè observandum est, ut Paulus & sihi ipsi & angelo è cœlis anathema dicit, si aliud Evangelium prædicet, quam ipse proposuerit. Galat. 1. v. 8.

3. Tertium *καταθεῖσθαι* est, Doctrina, quæ *Dei gloriam* illustrat, est divina: & illius Doctor est *venax*, quia loquitur quæ DEI sunt, qui mentiri nequit, & *injustitia non est in illo*, quoniam alienum honorem non usurpat, nec gloriam, quæ DEO debetur, sibi arrogat. Qui verò *propriam gloriam querit*, aut cuius doctrina hominum ambitioni & libidini servit, illius doctrina ad DEUM autorem referri non potest. Quemadmodum enim perfidus legatus est, qui principis sui nomine ad res suas privatas conficiendas abutitur: sic in Ecclesia DEI perfidi seductores sunt, qui sub prætextu divini nominis privatum suum commodum & gloriam quarunt.

His vero tribus *καταθεῖσθαι* & notis Servator non tantum veritatem & divinitatem suæ doctrinæ asserere: sed simul etiam Phariseorum atque Scribarum, adeoque *Judæorum* doctrinam falsitatis redarguere voluit. Ipsi enim 1. non à DEO missi erant: siquidem Phariseorum ordo in hominibus introductus est. Et licet sacerdotes de ordinaria successione gloriarentur: non tamen quæstio erat de successione loci vel familiæ, sed de successione doctrinæ & cultus divini: utrum Levitæ, sicut ipsis injunctum erat, ut essent inspectores doctrinæ, custodierint eloquium DEI, & pactum eius servaverint. Deut. 33. v. 9. 2. Pleraque loquebantur à se metipsis, docentes doctrinas & mandata hominum. Matth. 15. v. 9. 3. Denique per suam doctrinam non DEI, sed suam apud homines querebant gloriam. Sic ergo calumniam à Judæis contra se prolatam, in eosdem retorquet, sed tacite & cum modestia, nec se ipsum laudans, nec illos apertè insectans, sed in tertia persona loquens.

Ex hoc autem secundo membro concionis Christi hæc potissimum doctrinæ sunt notandæ. 1. Nullius Ecclesiastici Doctoris autoritatem apud nos tantam esse debere, quin in ejus doctrinam inquiramus, eamque examinemus, an ex DEO sit, an minus. Hinc Christus vult, ut oves inter pastorem & alieni vocem discernant: illum.

Harm. Tom. I.

sequantur, hunc fugiant, Johan. 10. v. 5. Et Matth. 7. v. 15. vult ut nobis caveamus à falsis prophetis, qui in vestimentis ovium veniunt. Quomodo autem cavebimus, nisi doctrinam examinemus, & de ea judicemus? Ideo etiam Johannes monet, 1. Johan. 4. v. 1. ne cuiusvis spiritui facilè credamus: sed ut spiritus, an ex Deo sint, probemus. Hoc notandum adversus illorum tyrannidem, qui contra Apostoli præceptum, 2. Corinth. 1. v. ult. fidei nostræ dominari, & nova dogmata nobis obtrudere conantur, quæ citra omnem diligentius examen recipere cogamur. Hoc Apostoli & Christus nunquam postulabunt, & id hominibus ignotæ fidei concederemus? Paulus 1. Corinth. 10. v. 15. scribit: Ut prudentibus loquor: vos ipsi judicate, quod dico. Si hoc tantus Apostolus fecit, alios non pudeat ipsius exemplum imitari. Et hic expendat pium cor, quam intolerabilis & planè diabolicus sit factus Pontificis Romani, qui vult omnes judicare solus, & ipse judicari à nemine. Ipse DEI filius hoc loco non tantum liberum facit omnibus, ut in suam doctrinam inquirent, sed etiam hortatur, ut diligenter istud faciant: & putridum istud OS PORCI in ecclesia Christi grunnire audeat, si innumerabiles animas catervatim secum in gehennam abducat, neminem tamen hominum præsumere debere, ut dicat: Domine Papa quid facis? distinct. 40. cap. 51. Papa.

2. Deinde monet hic locus, quo animo quisque conciones sacras adire, & in iis verbum DEI audire debeat. Nimirum eo, ut sibi toto animo proponat, quod velit obtemperare voluntati ejus, qui secum in verbo loquitur. Apud tales Spiritus sanctus non est otiosus: sed sicut Lydia purpurariæ olim aperuit cor, ut intenderet his, quæ dicebantur à Paulo, & fidelis fieret cum tota sua domo: Actor. 16. v. 14. sic etiam hodie operatur fidem per auditum verbi Christi. Rom. 10. v. 17. Et tales credunt, quia sunt *παρακλητοί*, ordinati ad vitam æternam, Actor. 13. v. 48. hoc est *πρόξενον* illam & ordinem servant, quem DEUS in verbo præscripsit: ut scilicet verbum audiant, ei credant, voluntatem DEI faciant, & huic fidei constanter inhærentes, tandem salvi fiant. Qui verò isto fine conciones sacras adeunt, ut tantum criticos agant, & censores sint aliorum sermonum, ac si quid audiant, quod ipsorum palato non sapit, mox illud suggillant, aut verbi ministrum, qui ipsorum vitia attigisse & taxasse videtur, in jus trahant: illi ad examen doctrinæ non sunt idonei, illi quoque obicem ponunt Spiritui sancto, ut non possit quicquam in ipsis fructuosè operari ad illorum salutem. Unde etiam plerumque posteriora ejusmodi hominis fiunt deteriora primis. Et quod multi in clara luce Evangelii cœcutiunt, illud inde fit, quod non parati sunt facere DEI voluntatem, sed volunt tueri id, quod ipsi præsumperunt.

3. Denique discant singuli examen illorum trium *καταθεῖσθαι* vel notarum doctrinæ accommodare ad articulos in Ecclesia controversos. Verbi gratia. Lis nobis est cum Jesuitis super Pontifice Romano, ejus clero & doctrina, quam in Ecclesia disseminarunt. His si nos fidem habere velint,

Tttt 3

lint,

lino, probent: 1. Pontificem, à DEO missum, esse Vicarium Christi: cum Christus passim Johan. 14. v. 26. & 16. v. 13. & alibi de paraclito, Spiritu sancto, non autem de Pontifice, tanquam Vicario suo, loquatur. Ex scripturis commonstrent, DEO jam probari illum Primatum, quem Pontifex affectat: Cum Christus eum toties in Evangelio rejecerit, & in Apostolis reprehenderit. Evincant, Christum in Novo Testamento, novum ordinem sacrificulorum, qui pro peccatis vivorum & mortuorum sacrificia DEO offerant, instituisse: cum Christus nusquam suos Apostolos sacrifices, sed suos testes esse voluerit, usque ad ultimum terræ. Itaque Pontifex cum suis sacerdotibus non à DEO missus, sed à diabolo, ceu filius perditionis Ecclesiæ obtrusus est. 2. Thess. 2. v. 3. Nam successio illa Apostolica, de qua tantopere gloriatur, tantundem ipsum relevat, quantum Judæorum sacerdotes successio Aaronica. Quia non cathedra, sed doctrina facit successorem. Quis verò misit Lolardos? quis Beguttas? Quis Lojolitas? Quis Capucinos? Quis tot Monachorum & Monialium examina? Diabolus exonerans nigram suam cappam, hæc monstra nobis profeminavit. 2. Deinde, si doctrinam ipsorum & ceremonias examinemus, pleraque extra scripturam, ex semetipsis locuti sunt. Ex quo enim scripto DEI verbo, sive Prophetarum sive Apostolorum, volunt probare, suas indulgentias papales, invocationem sanctorum, ordines monasticos, fictitias reliquias sanctorum, purgatorium ignem, vigiliis, sacra pro defunctis, processiones & peregrinationes, satisfactiones, fraternitates, & sexcenta, consimilia alia, de quibus omnibus in sacra scriptura ne Jota quidem extat? 3. Addatur denique, an doctrina illa faciat ad gloriam Dei, an vero ad augendum quæstum & splendorem Pontificum. Certè, qui in invocatione homines ad divos mortuos remittunt, & non ad Deum, qui justificationem eorum DEO in propriis operibus quærunt: & non in solo merito Christi: qui ad salutem admitti cupiunt, non ex gratia DEI, sed vel ob merita sanctorum, vel per proprias satisfactiones, illos DEI gloriam illustrare, nemo sanus unquam dixerit.

Lis item nobis est cum Calvinianis, tum in sacramentaria, tum quoad alios articulos. Hic nobis dicant 1. à quo missus fuerit ille Spiritus, qui in somniis Cinglio adstutit, & de quo ipsemet dubitavit, ater an albus fuerit, ipsique suggestit, ut voculam EST interpretaretur pro significat? 2. Monstrent nobis, quomodo undecim illæ diversæ explicationes verborum Cœnæ, quæ à diversis autoribus, Cinglio, Carolo studio, Oecolampadio, Calvino, Beza & aliis proferuntur, conveniant cum verbis Christi, & quod autores ipsi non ex semetipsis locuti sint. 3. Doceant denique nos, quomodo faciat ad DEI gloriam, si unus ipsorum doceat, DEO cum omni sua omnipotentia impossibile esse, ut unum corpus uno eodemque tempore in pluribus locis listat: alter, DEUM majorem partem hominum ad interitum & æternam damnationem creasse & prædestinasse: tertius, Christum pro majori parte hominum nunquam mortuum esse, nec pro ipsorum peccatis satisfecisse: quartus oportere Christum cælo capi, nec mi-

litanti suæ Ecclesiæ in terris eum adesse, nisi tantum secundum divinitatem: quintus, Spiritum S. offerre quidem in verbo salutem omnibus, juxta voluntatem signi, sed juxta voluntatem beneplaciti, non velle omnes ejus participes fieri, sed tantum illos, qui arcana DEI decreto ad salutem sint electi. Talia & hujusmodi quamplurima plenis buccis evomunt Calviniani, qui soli pro Orthodoxis haberi volunt: & tamen fraternitatem se nobiscum colere velle simulant.

Si quis porrò urgeat, quomodo nos Lutherani (ut nos vocant) τελευτη illa in nostris Ecclesiis commonstrare possimus, ei respondemus. 1. Lutherum suam missionem & vocationem non venditasse pro immediata, sed mediata à DEO factam, professum esse: & quidem per ipsos Pontificios Doctores, qui in promotione doctorali ipsi junxerunt, adeoque mediante juramento imposuerunt, ut doceret Evangelium Jesu Christi. Itaque ab illis ipsis ad sustinendam hanc provinciam, & ad purgandum ovile Christi ab Indulgentiis pontificiis, missus & vocatus est. Hodie quoque nulli in nostris Ecclesiis publice & ordinariè docendi, & sacramenta administrandi, potestas conceditur, nisi vocationis, missionis, ordinationis & confirmationis legitima testimonium ab Ecclesia communicatum præmonstrare possit. 2. Ex semetipso Lutherus nihil credendum proposuit sed verbum DEI scriptum & Evangelium ab Apostolis prædicatum urfit, humanas autem traditiones, ceu Diaboli virus, ex Ecclesia eliminandas esse contendit. Nosque adhuc hodie protestamur, nihil in Ecclesia Christi, etiam à quocunque doctore prolatum; fidem invenire debere, quod vel latum unguem à scripto DEI verbo recedat. 3. Lutheri denique finis, ut & scripta & acta ejus evincunt, hic unicus fuit, ut gloria DEI illustraretur: meritum Christi Servatoris magni fieret: & Spiritus sancti gratia, gratis omnibus oblata, grate etiam exciperetur. Non quasi vit suum nomen, vel suum commodum ullo modo: sed optavit martyrio affici propter nomen Jesu. Eadem mens & idem animus, adhuc hodie est omnibus sinceris verbi ministris. Hæc omnia late diduci possent: sed paucis summam rei monstrasse sufficiat.

III. Porrò factum suum Dominus Jesus, quod Joh. 5. v. 8. paralyticum Hierosolymis in die sabbati, durante festo Paschatis, ad piscinam probaticam sanasset, & grabbatum gestare jussisset, ita defendit: ut simul ostendat, quare præter legem opus sit doctrina & promissione Evangelii: quia scilicet, nemo ex Judæis servat legem. Docet quoque circumfisione, quæ ex patribus est, & sæpè incedebat in Sabbatum, ostensum esse, legem operum cedere justitiæ fidei, & per hanc illam impleri. Videamus etiam hujus membri verba, quæ hac summa observata, jam planiora erunt. 1. Dicit: *Nonne Moses dedit vobis legem, & nemo ex vobis factis præstat legem?* Quasi per concessionem loquitur, dicens: Vos gloriamini de eo, quod Moses vobis dederit Legem. Hoc ego totum vobis concedo, & addo: quod revera magna hæc sit gloria & prerogativa vestri. Nam ubi est alia gens lic inclyta, ut habeat ceremonias, iustaque judi-

cia, &amp;



cia, & univerſam legem, qualis propoſita fuit pa-  
tribus veſtris? Deut. 4. v. 8. Hæc fuit ipſorum ſa-  
pientia, & intellectus coram populis, ut illi audi-  
entes præcepta legis, dixerint: En populus ſapi-  
ens, & intelligens, gens magna. v. 6. Deus enim  
Jacob annuntiavit verbum ſuum: juſtitias & ju-  
dicia ſua Iſrael. Non fecit taliter omni nationi: &  
judicia ſua non manifeſtavit eis Pfalm. 147. v. 19.  
In hac autem lege DEUS vobis ſimul propoſuit  
vitam & mortem, benedictionem & maledictio-  
nem. Deut. 30. v. 19. Vitam, ſi voci DEI obtem-  
peretis, illi ex toto corde adhereatis, & judicia ſua  
cuſtodiat. Hæc enim homo faciens vivet in eis.  
Levit. 18. v. 5. Mortem, ſi legis data transgreſſo-  
res deprehendami. Nam maledictus omnis, qui  
non permanet in ſermonibus legis, nec eos opere  
complet, & dicit omnis populus, Amen. Deut. 27.  
verſ. ult. Atque *nemo ex vobis legem ſervat.* Hanc  
minorem Chriſtus prolixè comprobare potuiſ-  
ſet: maximè ſi ipſorum religionem, vitam & mo-  
res, juxta primam & ſecundam tabulam legis Mo-  
ſaicæ, & juxta verum ſenſum legis, quem ipſe  
Matth. 5. tradiderat, examinaſſet. Sed in præſentia  
contentus eſt unicum exemplum ab attentatis ad-  
verſus ſuam perſonam adducere, eoque ipſos  
transgreſſionis legis convincere. Hic enim He-  
bræorum mos eſt, ut hæcenus aliquoties vidi-  
mus, quod ex una ſpecie totum genus colligant.  
Et potiſſimum in lege DEI illud Jacobi 2. v. 10. lo-  
cum habet: quicumque totam legem ſervaverit,  
offendat autem in uno: ille factus eſt omnium  
reus. Exemplum autem illud hoc eſt: *quid me, ho-  
minem innocentem, quæritis interficere?* Præ-  
xitis quidem zelum legis, quod ob violationem  
Sabbati illud facere velitis. Sed ego me Sabbatum  
violare pernego, illudque reſpiſa commonſtra-  
bo. Vos autem in majoribus legem non cura-  
tis. Itaque quod prætiditis eſt integumentum  
malitiæ, non zelus legis. Sed ſimul etiam (ut dixi)  
hoc dicendo oſtendit, quare opus ſit doctrina &  
promiſſione Evangelii præter legem: quia nimi-  
rum nemo impleat legem. Ergo etiam nemo per  
illam vivet. Vos contenditis me non eſſe miſſum  
à DEO, quia legem Sabbati violem. Ego verò vo-  
bis confirmo, me propterea miſſum à patre, quia  
vos totam legem prophanatis, ut illam Ego mea  
obedientia compleam, ſicque vobis gratuitam ju-  
ſtitiam per fidem applicandam impetrem.

Antequam autem Jeſus ſermonem ſuum per-  
texas, turba conſiliorum pontificiorum ignara,  
putat Jeſum illud fingere, quod ipſum interfice-  
re velint, ac proinde dicit: *dæmonium habes, quiſ  
te quærit interficere?* Magnum hoc eſt & audax  
convitium, quo graviffimè, in ipſum DEI filium  
peccant. Sed quis dubitabit, phariſæos turbis mix-  
tos auſcultari, & audientes Jeſum palam & aper-  
tè traducere id, quod ipſi cum ſacerdotibus & pri-  
moribus populi clam in ſuis conventiculis hæc-  
enus tractarant, hoc ſpiritui pythonico, quem  
Chriſtus haberet, tribuiſſe? Sicuti Germani in-  
terdum dicere ſolent: *Welcher Teuffel hat dem daſſ  
geſagt und iſt doch erſt geſtern herkommen?* Nam ab  
iſtis hoc convitium profeſtum eſſe, ſatis apertè  
commonſtrant, quando capite ſequenti, v. 48. il-  
lud repetunt, dicentes: An non rectè dicimus,  
quod dæmonium habes? Itaque ipſi turbis mix-

Harm. Tom. I.

ti, hoc tacite muſſitarunt: non habet hoc hic Je-  
ſus ex ullo homine: habebit itaque ſpiritum vati-  
dicum, qui hoc ipſi revelavit. Turbæ autem in-  
ſtabiles, & ad quemvis ventiflatum mobiles, mox  
ad primorum ſuorum inſuſurrations pleno ore  
proclamant, *dæmonium habes.* Sic filius DEI, qui in  
hoc apparuit; ut deſtrueret opera diaboli, 1. Joh.  
3. v. 8. hanc calumniam ferre coactus fuit, ut dæ-  
moniacus diceretur, non tantum ab hoſtibus ſuis  
phariſæis, ſed etiam à vulgo, qui eum alias magni-  
faciebat. Verum enim eſt illud Quintiliani: Nihil  
quicquam facilius, quam in quemlibet affectum  
mutare populū. Nullum fretum, nullus Euripus  
tot motus, tantamque varias habet agita-  
tiones fluctuum, quantas perturbationes & quan-  
tos ætus habet ratio multitudinis. Item illud Ta-  
citi: Plebi nec judicium, nec veritas. Cicero quo-  
que inquit: Et in multitudine eſt varietas, &  
crebra, tanquam tempeſtatum, ſic ſententiæ  
commutatio. Fidar ergo mobili vulgo, quicum-  
que decipi, voluerit.

Chriſtus turbarum interpellationem nihil mo-  
ratus, doctrinam inchoatam pertexit. *Unum opus  
feci, & omnes miramini.* Quasi diceret: nullum ali-  
ud crimen poteſtis mihi objicere, quam unicum  
illud opus, quod paralyticum ſanavi: cum vos  
ſinguli Sabbatis multa opera faciatis, nec tamen  
Sabbati violatores videri velitis. Nam ut taceam  
jam crebras illas maſtationes, lotiones & com-  
buſtiones ſacrificiorum in templo, quæ ſine ma-  
nuum labore conſici nequeunt: vel unicum cir-  
cumciſionis Sacramentum conſiderate. Circum-  
ciſio patribus veſtris divinitus eſt injuncta, ut ma-  
ſculus octavo die circumcidatur. Id niſi fiat, de-  
lenda eſt anima ipſius ex populo DEI, quia irritum  
fecit pactum DEI. Gen. 17. v. 12. Quoties verò ac-  
cidit, ut in ipſo ſabbato (quando nimirum is eſt  
octavus nativitatis dies) pueros circumcidatis?  
Tamen *2. Mc. 7. 8. 6.* propterea quia Moſes dedit & præ-  
ſcripſit illam ceremoniam circumciſionis, illam  
etiam in ſabbato ſervatis, nec per eam ſabbatum  
violari ſtatuitis. Jam conſerte inter ſe circumci-  
ſionem & ſanationem paralytici. Utrunque cer-  
tè eſt divinum opus: ſed tamen magnum inter u-  
trunque diſcrimen. Circumciſio ſit cum acu-  
tiſſimo dolore infantis: Ego verò à paralytico  
unico verbo omnem dolorem removi. Reſe-  
ctio etiam præputii non ſit ſine labore, cui mox  
medicina adhibenda, & vulnus ligamentis curan-  
dum eſt: Ego verò in paralytici curatione tan-  
tum verbum non pharmacum adhibui. *Juſto er-  
gò judicio judicate,* ſicuti vobis Moſes veſter Deu-  
ter. 1. v. 16. præcepit, & non *judicate nar. 2. Jm, ju-  
xta aſpectum.* Et cur non idem judicatis de ſana-  
tione paralytici, quod de circumciſione? Maxi-  
mè, quia Ego *totum hominem ſanum feci.* Vos au-  
tem in circumciſione hominem vulneratis, ex  
quo vulnere multi moriuntur. Cum ergò gloria &  
gratia DEI in ſanatione paralytici magis eluceat,  
quam in circumciſione: Cur in me damnatis,  
quod in vobis ipſis abſolvitis? Nimirum, præju-  
diciū contra meam perſonam præconceptum  
vos impedit. Cui accedit illud, quod non atten-  
ditis legem operum à Moſe traditam, cedere  
doctrinæ fidei à DEO revelatæ. *Quod inde col-  
ligere poteſtis.* Circumciſio non primitus à Moſe  
Tttt 4 eſt in-

est introducta, sed jam olim *Patribus* data, à quibus Moyses eam accepit. Jam verò circumcisio non pertinet ad legem operum, sed est signaculum justitiæ fidei, quæ est in præputio. Rom. 4. v. 11. Postquam enim Abrahamus credidit DEO, illudque ipsi imputatum est ad justitiam, Genes. 15. v. 6. mox DEUS erexit cum ipso fœdus, Genes. 17. v. 2. & huic fœderi, cujus Abrahamus per fidem particeps factus fuerat, loco sigilli confirmationis ergò appendit circumcisionem. Ut sic in carne sua pactum DEI secum circumferret, & ipse & posterius in fœdus æternum. v. 13. Ergò circumcisio omnino pertinet ad promissionem Evangelii. Et tamen Moyses, qui alias tam severus exactor est sabbati & legis operum, circumcisionem, *quæ ex Patribus est*, non impedit: ostensurus nimirum, legem operum cedere religioni fidei. Absque hac enim si esset, non salva fierit omnis caro. Quia nemo servat legem: Ego verò propterea veni, ut ea impleta & remota, credentes per justitiam fidei, salutem habere possint.

Præbet etiam hoc membrum aliquot doctrinas, quæ annotandæ videntur. 1. Christus suo exemplo verbi sui ministros docet, non satis esse, si vera doceant, & doctrinæ suæ rationem quibusvis reddere possint; nisi etiam suam innocentiam tueantur adversus eos, qui falsis criminibus doctrinam veritatis apud plebem exosam reddere conantur. Judæi Jesum passim ceu legis violatorem traduxerunt: illud hic solide refutat, cum non ad solvendam, sed ad implendam legem venerit. Matth. 5. v. 17. Qualiter autem talis Apologia & defensio institui debeat, quoque suo exemplo commoustrat. Dum nimirum spes est, quod homines adhuc sint sanabiles, placidè & tranquillè ostendit respondendum esse. Ipse certè, dum hi dæmoniacus dicitur, non maledictum maledicto refert: nec convitium regerit aut comminatur: sed justè judicanti vindictam tradit, 1. Petr. 2. v. 23. interim ad salutarem doctrinam se confert, docens, falsa crimina, si objiciantur, patienter toleranda, nequæ, si maximè possemus, regerenda, sed potius salutaria docenda esse. Revera enim Judæi à malo dæmone agitabantur, dum Christum dæmoniacum esse falso dictarent. Non itaque facile acerbe, multo minus contumeliose contra adversarios agendum, si nobis falsa crimina objectent, nisi deprehendamus ipsos prorsus deploratæ spei esse: sicuti c. 8. Johannis de eo audiemus. 4. Objiciendo Judæis, quod legem Moysis accepissent quidem, sed factis eam non præstarent, docet: non sufficere, legem à DEO accipere, audire, legere, aut in ore habere, nisi eidem obtemperemus, eamque factis impleamus. Ideò Paulus dicit Rom. 2. v. 13. non auditores justi sunt apud DEUM: sed factores legis justificabuntur. Et in genere de verbo Dei Jacobus dixit. c. 1. v. 22. Estote factores verbi, & non auditores tantum: fallentes vosmetipsos. Nam etiam salvator ipse dixit in ultima cœna, Johan. 13. v. 17. Si hæc scitis beati eritis, si feceritis eadem. Et Matth. 7. v. 23. testatur multos gloriaturus in novissimo die, non tantum de notitia sui nominis, sed etiam de miraculis, quæ in ipsius nomine ediderint, verum quia voluntatem Patris sui non fecerint, sed iniquitatis operarii fuerint, se illos abs se rejecturos.

Imò ille servus, qui cognovit voluntatem domini sui, nec tamen fecit eam, vapulabit multis, Lucæ 12. v. 47. 3. Quin & illud Jesus hic monet: ut qui alios judicare volunt, ipsi prius omni labe careant. Damnabant Judæi in CHRISTO, quod ipsi tota die committebant. JESUS infimulabatur, quod sit prophanator sabbati, quia paralyticum Sabbato sanasset, & Judæi singulis Sabbatis circumcisionem ministrabant. Æquum itaque est, ut is tantum de alterius errore judicet, qui non habet in semet ipso, quod condemnet: ne, dum in alio aliquid condemnat, de seipso sententiam ferat. In primis autem Judices, & qui sunt in officio magistratus, hoc attendere debent, ut ipsis illud Poetæ exploratum sit.

*Sic agitur censura, & sic exempla parantur,  
Cum Judex, alios quod monet, ipse facit.*

4. Ex hoc Christi loco, quo distinguit inter circumcisionem à Patribus acceptam, & inter legem à Mose datam, quæ justitiæ fidei cedat, videtur Apostolus Paulus desumisse sua argumenta, quibus confirmat gratuitam justificationem fidei contra justitiam operum, quam Pharisei ipsius tempore urgebant. Ut ad Rom. 4. v. 3. ubi Abrahamum adducit, qui DEO crediderit, & cui fides imputata sit ad justitiam, antequam operibus se DEO commendabilem reddidisset. Alias enim non gratiam futuram fuisse, sed mercedem secundum debitum. In primis autem ad Gal. 3. v. 16. ubi asserit Abrahamo promissionem hæreditatis datam, esse in promisso benedicto semine, quadringentis & triginta annis, priusquam lex promulgaretur. Et inde extemporis circumstantia eodem modo, quo hic Christus colligit, posse aliquem fide ob benedictum semen justificari, sine addimento operum legis. Neque enim lex successit ad evacuandam promissionem. Concionatores itaque in tractatione hujus loci commodam occasionem habent, ex libellis didacticis desumendi & auditoribus suis explicandi hanc doctrinam: quare necesse fuerit præter doctrinam legis, etiam revelare promissionem Evangelii. Absque hac enim si esset, omnes homines per legem damnarentur. 4. Denique notanda sunt duo hæc verba in usurpatione Sacramentorum, quæ hic ponuntur: *Moses dedit, dedit circumcisionem, & homo dæmoniacus, accipit circumcisionem.* Hæc enim duo in sacramentis sibi invicem correspondere debent. Deus per sacramenta offert nobis hominibus suam gratiam, remissionem peccatorum, vitam & salutem. Si jam nemo sit, qui accipiat, tum DEUS conqueritur per Prophetam: Expandi manus meas tota die ad populum inobedientem, & gradientem in via non bona, post cogitationes suas. Jesa. 65. v. 2. Ex quo etiam sequitur, sacramenta sine usu & applicatione nihil prodesse. Sacramentum cœnæ Dominicæ, si in monstrantia spectandum exhibeatur, aut circumgestetur, nihil prodest, nisi accipiat, hoc est, comedatur & bibatur. Eadem est ratio verbi, quod quando prædicatur sine auditoribus, nullus ipsius est fructus: Si autem credula mente accipiat, tum operatur salutem.

*Hic oritur quæstio, à nullo, quod Ego sciam, satis*

fatis explicata: quomodo Christus inter se opponat *circumcisionem*, & quod ipse *totum hominem* sanarit. Et de paralytico quidem manifestum est, quomodo id factum sit. Corpus ejus ita sanavit Jesus, ut lectum, quo prius ipse portatus fuerat, suis viribus portare potuerit: animam autem sanavit, quia ipsi dixit: Noli amplius peccare. Joan. 5. v. 14. Et quod Jesum Messiam agnovit, inde colligitur: quia mox suam coram Judæis de ipso edidit confessionem. De circumcisione autem idem dici posse videtur. Nam etiam hæc totum hominem sanationem fecit. Eo quod non fuerit tantum corporalis actio: sed signaculum justitiæ fidei, Roman. 4. v. 11. Et de eo, qui non circumcidebatur, dicit DEUS: eradicabitur anima ipsius de populo suo. Gen. 17. v. 14. DEUS etiam, quando extrema minitatus est, tum futurum prædixit, ut quis moriatur morte circumcisorum. Ezechiel. 28. v. 10. Exciipiunt quidam: Judæos transformasse circumcisionem in externam actionem: ut circumcisionem habuerint non spiritus, sed literæ. Rom. 2. v. 29. cumque circumcisio nihil proffit, nisi quis univèrsam legem observet, Rom. 2. v. 25. & Galat. 5. v. 3. idem circumcisionem talibus nihil profuisse. Unde Stephanus Judæis objicit, Actor. 7. v. 51. quod sint in circumcisi cordibus & auribus. Veritatis hæc sit: Vos Judæi ex circumcissione tollitis quod spirituale est, & tantum carnale opus ex circumcissione facitis: & tamen in sabba-to, quo die talia opera, quæ non sunt spiritalia, DEUS prohibuit, eam peragitis. Ego autem totum hominem sanavi: arque sic spirituale opus cum corporali sanatione conj. nxi. Et sic quidem antithesis sibi constare videtur. Sed obstat: quod actiones sacramentorum non ex abusu, sive accipientium sive ministrantium sint judicandæ: sed ex DEI institutione & ordinatione. Item loquitur hic Christus de infantibus octo dierum, qui accipiunt circumcisionem: & hæc valet, non juxta corruptelas ministrantium, nec quomodo infans adultus factus, ea vel rectè usurus vel absurdus sit: sed juxta ordinationem DEI. Sicut nos quoque docemus, baptismum etiam à pontificis ministratum valere, propter ordinationem & institutionem DEI: licet complures corruptelæ ab ipsis admisceantur. Hæc cum etiam in circumcissione valeat, non immerito quæritur, quomodo sanatio totius hominis opponatur circumcissione? Eo ergo respiciendum videtur: quod circumcisio, quatenus fuit spiritalis actio, & tenus sanavit hominem: interim tamen etiam fuit cruenta actio, corpus faucians & ingentem dolorem circumciso afferens. Hæc ergo ratione hominem sanare non dici potest, quia eodem ipso die, etiam Cyrillo teste, medicinalis cura de circumciso habenda fuit. Unde etiam sæpenumero factum, ut aliqui ex circumcissione mortui fuerint. Et quod hanc externam corporis fauciationem Christus respexerit, innuere videntur illa verba, quod *totum hominem* *ἄνθρωπον* sanum fecerit: ut ens tali vocabulo, quod corporis sanitatem, non animæ salutem, indicat. Atque sic *ἀνθρώπου* constabit, quæ soli Christo hæc laudem attribuit, quod *totum hominem* sanare possit.

IV. Judæi & doctrina & miraculis convicti, cum aliud non possent, opponunt, magnificis de-

scriptionibus Messia, quæ in Prophetis extent, Jesum non respondere. Ponit ergo ipse descriptionem suæ personæ. Non tantum sum, quod vos nostis, hoc est, homo: sed sum à DEO missus. Et quidem idem missus ab ipso, ut quoniam nemo novit Patrem, nisi filius, Ego veram DEI agnitionem, non legalem, sed salutiferam, patefaciam omnibus hominibus.

Vulgus, quod ex peregrinis locis Hierosolymam ad festum venerat, ignorabat machinationes primorum populi, & quod consilia de interficiendo JESU agerent: ac proinde in superioribus dixerunt: *quis te quærit interficere?* At jam alii introducuntur, cives nimirum *Hierosolymitani*, quibus superiorum suorum propositum non erat ignotum. Hi, quod novissent impotens odium, Pontificum, & interim audirent Jesum ita libere docere, mirantur, & miraculo simile ipsis est, quod Pontifices animi decreta non in actum traducant. Ideo dicunt: *Num cognoverunt principes hunc vere esse Christum?* Forsitan convicti in conscientia sua, agnoscant ipsum mundi esse Messiam, & propterea consilium occisionis mutarunt. Sed quid vos Hierosolymitani cives quæritis? Num ergo, si principes vestri Jesum Messiam recepissent, vos eundem recepturi essetis? Non. Nam *novimus hunc unde sit: Christus autem cum venerit, nemo scit unde sit.* Falsum hic habent Hierosolymitani cives præsuppositum: dicunt, Messia originem planè esse ignotam, quod fuit falsissimum. Nam quis illum ceu mundi Salvatorem suscepturus esset, de quo nemini constaret, quis aut unde esset? Ideo DEUS, ut omnibus constaret, quem Messiam suscipere deberent, primum stirpem notavit per Patriarcham Jacobum, Gen. 49. v. 12. ex qua esset oriundus: deinde familiam, ex femine David. 2. Sam. 7. v. 10. postea per Danielem, tempus adventus, Dan. 9. v. 26. denique locum natalem per Michæam indicavit. cap. 5. v. 2. Quamquam verum sit, Scripturam etiam alterum addidisse, ipsum fore sacerdotem secundum ordinem Melchisedec, Psal. 110. v. 4. hoc est, ut Epistola ad Hebr. 6. v. 3. explicat *ἀπίστορα, ἀειπόρα, καὶ ἀγνωστογένητον*, ignoti patris, ignotæ matris & ignoti generis, nec initium dierum, neque vitæ finem habentem. Item Mich. 5. v. 2. egressum ejus fore ab initio, & à diebus æternitatis. Cum ergo scriptura utrumque de Messia prædixerit, populus autem prætextum ex scriptura quærat, cives Hierosolymitani arripiunt illud, quod de æterna & occulta ipsius generatione prædictum est, eique de suo, sed falso, assumunt, ipsum esse Josephi fabri filium, natum in Nazareth, cujus fratres, sorores & tota cognatio Judæis esset nota. Cumque hæc omnia norint, inde concludunt: Ergo hic Jesus non est Messias.

Christus apud se cognoscens & videns hosce, malitiosè & devoto studio errare, ne errori suo ignorantiam prætexere possent, plenam doctrinam de sua persona proponit. Neque id facit privatim cubiculi in angulo per tacitam musitationem, sed publicè clamabat in templo docens, hoc est, liberè, apertè, intrepidè & solito clariore voce docebat, ut cum calumniatores, tum Pharisei, qui fortassis remotiores stabant, ipsum percipere pos-

repossent. Quia enim non tantum de suo honore, sed potissimum de ipsorum salute agebatur, vocis elevatione commonstrare voluit, quam se-rio salutem ipsorum quæret. Dixit ergo: *Et me no-  
vostis, & unde sim nostis.* Hæc verba diversimode explicantur. 1. Augustinus & alii plerique sic accipiunt, quasi Dominus dixisset: & nostis unde sim, & non nostis. Nam ex una parte scitis me esse hominem; & progeniem meam carnalem non ignoratis: ex altera autem parte nescitis me verum esse DEUM, & à cœlesti Patre missum. 2. Alii sic interpretantur, quasi Christus dixisset: omnino scitis quis sim. Nam intra conscientiam vestram, per miracula & opera mea convicti estis, quod non sim nudus homo, sed à DEO missus. Quomodo Johan. 3. v. 2. Nicodemus princeps Judæorum dixit? Rabbi, scimus quia à DEO venisti magister, nemo enim potest hæc signa facere, quæ tu facis, nisi fuerit DEUS cum eo. Vos ipsi mox dicetis, v. 31. Christus cum venerit, nunquid plura signa faciet, quam quæ hic facit? Quid dicent vestri Pharisei Matth. 23. v. 16. Magister, scimus, quia verax es, & viam DEI in veritate doces. Hæc novistis: & tamen contumaciter incredulitatem in corde vestro fovetis. Cogitate ipsi, quæ hæc vestra sit pravitas, quæ voluntaria cœcitas? 3. Denique quidam hæc verba Ironice dicta accipiunt, quasi dixisset: Vos quidem gloriamini, quasi me novissetis, & quis sim, & unde sim, sed nihil minus quam hoc novistis. Etsi enim videmini novisse me, quoad externam humiliationem: tamen turpiter erratis, quod me Josephi fabri filium esse putatis, cum sim conceptus ex Spiritu sancto. Matth. 1. v. 20. Luc. 1. v. 35. Me item Nazaretanum origine existimatis, cum sim Bethlehemita. Luc. 1. v. 6. in primis autem illud ignoratis, aut non novisse vultis, quod sum ipseus DEI *uo-  
vostis* filius, quem ab æterno generavit, Psal. 2. v. 7. & quem humanæ salutis causâ in mundum misit. Ideo non veni à meipso, sed verax misit me. Patri suo cœlesti tribuit epitheton *veracis*, propterea, quia juxta promissiones patribus datas Messiam miserit, licet Judæi mille modis se eo indignos reddiderint. Et sicuti *verax* promissiones mittendo implevit: ita etiam reliqua, quæ ad ipsius officium, liberandi genus humanum ex tyrannide Satanae, pertinent, implebit. Licet vos de-  
nuo, me repudiando, vos Messia indignos reddatis. Ipse enim qui me misit, fidelis manet, negare seipsum non potest. 2. Timoth. 2. v. 13. Caterum unde proveniat, quod Judæi adeo turpiter quoad ipsius personam errent, simul indicat, quia *vos non  
novistis eum*, qui misit me. Sic verò loquendo Judæis derogat veram veri DEI notitiam. De se autem dicit: *Ego novi eum, quia ab ipso sum, & ille misit me*, atque simul innuit, se in eum finem missum esse, ut ipsi ab eo veram Dei cognitionem discant. DEUM enim nemo vidit unquam: unigenitus Filius, qui est in sinu Patris ipse enarravit. Johan. 1. v. 18.

Hoc quartum membrum concionis sequentes præbet potissimum observationes. 1. Ob oculos ponitur admiranda DEI providentia, qua impiorum conatus ita infringere, manus ita vincere, & ora ita obturare potest, ut ne quidem contra DEUM hiscere possint. Judæi Jesum

absentem quærebant interficere: nunc ipse præ-sens palam & aperte contra ipsos concionatur, sed ipsi nihil contra mutire audent, adeo ut proprii ci-ves eo nomine mirentur. Unde verò istud? Nimirum DEUS eos victos detinet, ne contra suam voluntatem in filium sæviant. Quemadmodum enim, si quis prædam in conspectum leonis proferrat, quem tamen ipse vinculis constrictum teneat, ne in prædam illam involet: ita sæpenumero Ecclesia numero exigua & robore infirma, obijci-tur oculis tyrannorum, qui tamen DEI manu & occulta ipsius potentia ita refrenantur, ut eam opprimere non audent. Dicat ergo nunc Israel, nisi quia Dominus erat in nobis. Nisi quia Dominus erat nobiscum, cum exurgerent homines in nos, fortè vivos deglutissent nos. Psalm. 124. v. 1. 2. In civibus Hierosolymitanis videmus, quomodo caro humana ingeniosa sit in excogitandis rationibus, quibus se ipsam in sua impietate & cœcitate confirmet. Hi primum Jesum contemptum habebant: quia principes eorum non credebant in ipsum. Et revera principum autoritas magnum momentum habet apud vulgus hominum in re-  
quavis, maximè autem in religione. Ut si illi hanc spernant, vulgus hominum pleno impetu ad omnem prophanitatem proruat. Saul primus rex Israelitis fuit rex impius, verum DEI cultum ex prophano corde negligens; inde factum est, ut cunctis diebus Saulis nemo arcam Domini requisierit. 1. Paralip. 13. Maximè autem, si principes suis edictis veritatis professionem prohibeant, tum è vulgo plerique justam se exultationem habere opinantur, si eam non amplectantur. At verò sæpenumero etiam remoto hoc impedimento, ita ut per Principes facilè liceat veritatem amplecti: tamen hanc ex obstinata quadam malitia & cœcitate respuunt. Sicuti hic Hierosolymitanos suis principibus hoc nomine indignari videmus, quod opinentur, eos mutato animo occidendi Jesum, jam eum pro Messia habere incipere. Sic nostra ætate multi, ipsorum Episcopis & Præsulibus veritatem Evangelii agnoscentibus & amplectentibus, nihilominus pervicaciter superstitionibus pontificiis adhæserunt. Tales ergo justo DEI judicio in reprobam mentem dantur, & quia charitatem veritatis non receperunt, ut salvi fierent: Ideo DEUS illis immittit operationem erroris, ut credant mendacio, & in omni seductione iniquitatis pereant. 2. Theff. 2. 10. 3. Christus suo exemplo docet suos ministrum, quomodo constanti fide suo officio defungi debeant. Nunquam ipsis defuturi sunt adversarii, qui vel clandestinis artibus, vel aperta vi ipsos impugnare velint. Hic ipsi veritatis doctrinam nequaquam deferere, neque turpi silentio eam proderere debent. Sed potius contra audentiores eant: rudes & imperitos sana doctrina erudiant: contradicentes arguant: falsa argumenta confutent: apertis hostibus judicium DEI denuncient: pusillanimes confirmet, & afflictos piis consolationibus erigant. Sic sua prædicatione DEI gloriam illustrabunt, & ad minimum aliquorum pedes ad viam salutis dirigent, qui alias toti in interitum ruituri essent. 4. Illud verò cum primis observatione dignum est, quod Christus Hierosolymitanis omnem veram veri DEI notitiam adimit: cum tamen hi præ aliis de ejus notitia gloria-

gloriantur. Asaphus olim cecinit Psal. 76. v. 1. Notus in Judæa DEUS: in Israel magnum nomen ejus. Tabernaculum ejus in Salem: & habitatio ejus in Sion. Jam verò, ut ex præsentis loco patet, DEUS ipsi adeò ignotus est, ut admodum ineptè & pueriliter deblaterent, *Christus cum venerit, nemo sciet, unde sit.* Ergò hinc agnoscamus, veritatis cognitionem nulli certo loco alligatam esse. Hoc adeò certum & manifestum est, ut omnes fateri cogamur, hodie Alexandria, Antiochiæ, Corinthi, Ephesi, Thessalonica & aliis multis in locis, in quibus Apostoli ipsi Ecclesias Christi plantarunt, Turcicam impietatem dominari. Quid ergò prærogativæ sibi arrogat Roma, quasi Spiritus sanctus ipsorum Vaticano sic sit alligatus, ut Papa Romanus errare non possit? De Hierosolyma olim dictum fuit, Psalm. 132. v. 13. Elegit Dominus Sion: Elegit eam in habitationem sibi. Hac requies mea in seculum seculi: hic habitabo, quoniam elegi eam. Et tamen hic Christus Sionis incolis aperit objicit: *Non novistis eum, qui misit me.* Tam splendidas promissiones Roma nulpam habet, & fieri in ea non posset, ut lex periret à sacerdote, & consilium à senioribus? Ezech. 7. v. 26. Miretur autem quis, quomodo Christus hoc loco Judæis DEI cognitionem adimat, cum tamen Paulus eam Gentibus incredulis tribuat, Roman. 1. v. 19. At verò quorū Judæorum fuerunt prærogativæ? Illis concedita erant eloquia DEI: Habebant legem scriptam: abominabantur innumerabilem illam DEORUM gentium turbam: & de vero DEI cultu præ aliis populis omnibus gloriabantur. Quomodo ergò DEUM non novissent? Respon. Duplex est DEI agnitio. Una est generalis & legalis: qua ex creaturis, operibus DEI & legis doctrina agnoscamus, quod sit DEUS, & ille quidem potens, justus ac beneficus. Sed hæc notitia, sine & extra Christum nihil prodest ad salutem. Altera est Evangelica, qua DEUM agnoscamus patrem, per & propter Christum, & quod creditibus in hunc gratis peccata remittat. Hæc est salutifera DEI notitia, de qua Christus dicit Johan. 17. v. 3. Hæc est vita æterna, ut cognoscant te solum DEUM verum, & quem misisti JESUM Christum. De hac speciali & salutifera DEI cognitione supra ex Matth. 11. v. 27. audivimus: Nemo novit patrem, nisi filius, & cui filius voluerit revelare. Et rectè Johannes scribit, 1. cap. 2. v. 23. Omnis qui negat Filium, nec Patrem habet. Qui autem confitetur Filium, & Patrem habet. 5. Ex hoc quoque membro concionis Christi tractari potest doctrina de persona Christi: Quod non sit *ψαλδς ἀνθρωπίνος*, nudus homo: sed DEUS & homo in una indivisa persona, sicque geminæ substantiæ gigas. In primis autem hic urgeri potest phrasîs græca *ὅτι παρ' αὐτῶν εἶμι*, quæ non tantum verti potest, quia ab ipso sum, sed etiam, quia ex ipso sum. Nam *παρὰ* cum Genitivo significat & ab & ex. Ut ita essentia identitatem, & æternam ex Patre generationem innuat. Sicut etiam Psalm. 72. v. 17. inquit: Erit nomen ejus in secula, ante solem permanet (in Hebræo est *יָדוּ* quod verti potest, est filiatum, aut per filiationem derivatum) nomen ejus. Hoc est, Sol, Luna & reliqua luminaria à DEO sunt creata, ut sint in tempora,

dies & annos. Sed nomen Messia filiatum est ante solem. Ergò indicat Psalmus, id ante omne tempus, atque sic ab æterno factum esse. Sed plenior tractatio petenda est ex libellis methodicis. 6. Quod denique Christus toties hic inculcat, *à Patre missus sum*, eo verbi sui ministros admonet, ut & ipsi in suo muere vocationis & missionis suæ certi sint. Absque quo si sit, nunquam justa severitate & libertate hominum peccata arguere poterunt. Sic videmus passim Prophetam suam vocationem à DEO factam prætere. Jesa. 6. v. 9. Jere. 1. v. 6. Ezech. 2. v. 3. Amos 7. v. 15. In primis verò Paulus suam vocationem ubique in Epistolis suis inculcat. Hujus ergò vocationis divinæ fiducia, cum *παρ' ἑωυτοῦ* quis suum officium facere potest. Qui verò vel prece vel precio Ecclesiasticas suas functiones redemerunt, illis facilè est os obligere.

V. Cum adessent missi à Phariseis & Principibus sacerdotum, comprehensuri Jesum, ipse de morte sua concionatur. Quæ ne credentes offenderent, adjungit doctrinam de glorificatione sua, quam secutura sit abjectio Judæorum.

Et si Dominus Jesus hæctenus summa animi moderatione publice in templo Judæis rationem reddidit, tum suæ doctrinæ, tum suæ personæ: hypocritarum tamen animi nequaquam emolliiri potuerunt, quin *quererent eum comprehendere*, & prehensum trucidare. Sic nimirum compensant Christo propensum ipsius erga se animum, quo se modo ipsis ducem & lucem ad veram veri DEI cognitionem obtulit. Nimirum perpetuo ignorantia mentis comites sunt, obstinatio cordis & violentia manuum. Sed hic additur: licet voluntas ad eadem perpetranda propensa fuerit: *Nemo tamen misit manus in illum*, nec quicquam violenti adversus illum tentavit. Unde hoc? Num Christus seipsum & causam suam armis & externa defensione tutatus est? Minimè verò. Sed quia *nondum venerat hora ejus*. Quod non intelligendum est de fato aliquo Stoico, aut quasi una aliqua hora sit inauspicatior quam reliquæ: sed quem admodum in aliis Christus definito consilio & præscientia DEI traditus est in manus iniquorum, juxta Petri doctrinam, Actor. 2. v. 23. ita etiam divina voluntate certum tempus præstitutum fuit, quo Messias mori debebat. Voluit enim mori non in festo tabernaculorum, sed in festo Paschatis: ut ita archetypus suæ figuræ & umbræ responderet. Nam ad crucem abreptus est non infirmitate, sed Patris decreto, tanquam victima destinata ad sacrificium pro mundo. Antequam itaque tempus illud divina voluntate præfinitum adveniret, potenti DEI protectione tutus fuit, ut hostilis furor, utcunque arderet, tamen nihil adversus ipsum posset, etsi ipse omni humano auxilio destituebatur. Indicatur etiam, quoniam illi fuerint, qui hanc Christi prehensionem procurarunt. Primi authores fuerunt Pharisei, qui & eruditionis & sanctimoniam nomine præ aliis celebres esse volebant. Et hi Christo præ aliis infensi erant, quia doctrina sua, qua gratuitam peccatorum remissionem prædicabat, ipsorum operum justitiam evertibat, cujus fiducia illi vel maximè nitebantur. Hi ergò, ceu specu-

speculatores & exploratores, turbis mixti, auscultabant & Christi & aliorum sermones, & observabant omnes occasiones, quibus Christo nocere possent. Cumque audirent multos ex turba dicere: *Christus cum venerit, num plura signa edet his, quæ hic edidit?* indeque colligerent populum Christo adherere, protinus rem detulerunt ad pontifices, seu principes sacerdotum, quibus adjunctum fuit *ἀνωγειον*. Solis enim Phariseis potestas illa non concessa erat, ut aliquid violenti in religione contra quemquam tentare auderent. Pontificibus autem *ἀνωγειον* religionis à Romanis fuerat permessa. Iccirco hi cum Phariseis, quasi conjunctis copiis, ipsum capere & occidere sunt conati, & miserunt ministros, apparitores & lictores, qui eum prehenderent.

Cæterum jam missis ministris, in præsentia populi Jesus de ipsorum conatibus concionatur. *Adhuc pusillum temporis vobiscum sum, & abeo ad eum, qui misit me.* Vult dicere: Meminisse debetis, quod Patriarcha vester Jacobus, benedicens filiis Joseph, Gen. 48. v. 16. Messiam vocavit *יְהוָה אֱלֹהֵינוּ* seu legatum DEI, ab officio, cujus causa in hunc mundum à DEO Patre missus venire debeat. Hic legatus DEI & Immanuel missus ego sum. Nec opus erat, ut tanto studio & perversa me ad mortem quæreretis. Nam ipse non diu vobiscum manebo, sed expedita mea legatione redibo ad eum, qui misit me. Ipse autem redeo: quia vos vitæ & necis meæ nullam potestatem habetis. Et nisi sponte Ego animam meam depositurus essem, nunquam vos eam erepturi mihi essetis. Verum enim verò sciatis velim, me morte non extingui, sed perfecta legatione, & deposita infirmitate redire ad Patrem. Et tunc post mortem status meus longè excellentior futurus est, quam nunc sit. Jam me quæritis ad mortem, nec meam præsentiam ferre potestis ad modicum tempus. Sed veniet, quo quæratis me, neque invenietis. Nam sive ad bonum sive ad malum me quæratis, non potestis eo venire, ubi Ego sum. Hunc sermonem ludibrio adversarii ipsius excipiunt dicentes: *Quis hic sermo? Num abiturus est in dispersionem Græcorum, ut eos doceat?* Judæi per contemptum omnes Gentes Græcorum titulo indigitarunt. Ideò Paulus etiam in suis Epistolis hac divisione utitur, & totum genus humanum in Judæos & Græcos dispescit, & Græcorum titulo omnes gentes incircumcisas intelligit. Rident ergò Jesum, an ad ultramarinas gentes abiturus sit, ut ibi sit Messias, qui in terra promissionis nec quæri, nec inveniri velit. Sed loquitur Christus hic propriè non de gentibus, verum de cœlesti gloria, ad quam per mortem sit evehendus, ubi tanquam gloriosus victor ac triumphator sit regnaturus. Et si me quæraturis estis ad malum, licet tanquam famelici canes ululaturi, & civitatem circuituri sitis, Psalm. 59. v. 15. tamen frustra vagabimini ad cibum, nec me invenietis: quia sublimior, quam vos credatis, factus, & ad dexteram DEI exaltatus, à vobis nullo modo lædi potero. Sin me ad bonum & vestram salutem quæratis, sciatis: quamdiu carnalem Messiam quæratis, tamdiu vos me, verum Messiam, non inventuros. Sic uterque sensus est conjungendus. Alioquin frustra disputant docti, quomodo Christus eadem hæc verba Joh. 13. v. 33. et-

iam discipulis dixerit. Nam diverso respectu diversum etiam sensum hæc verba requirunt. Judæi Matth. 27. v. 64. quæraverunt Jesum, ut in sepulchro eum detinerent; sed frustranea erat illa quæratio, nihil effecerunt. Jesus enim vel invitis inferorum portis gloriosus resurrexit. Petrus cum Johanne, Joh. 20. v. 4. etiam quæraverunt Jesum in sepulchro in sui consolationem: sed nec ipsi eum invenerunt. Postea tamen Christus seipsum manifestavit: veruntamen etiam, postquam eum invenerunt, non potuerunt tum temporis eo venire, quo ille abijt, donec suo tempore rediret, eosque ad se reciperet. Joh. 14. v. 3. Ita dubium non est, in calamitatibus suæ terræ & Judæos & discipulos desiderasse videre unum diem filii hominis, ut ipsius doctrina & consolatione fruerentur: sed non viderunt. Lucæ 17. v. 22. Nam postquam semel visibilem suam præsentiam ex hoc mundo subduxit, de cætero non amplius in hoc mundo videri & audiri vult corporali modo, donec in novissimo die veniat ad judicium, Act. 1. v. 11.

Præbet nobis hoc postremum membrum concionis Christi quoque aliquot doctrinas. 1. In Judæis consideremus, unde proveniat obturata illa & perversa ipsorum malitia, quod Jesum placidè docentem non audire volunt, sed potius prehendere cupiunt. Nimirum ut Dominus antea ipsis objecerat, ex ignorantia DEI, ipsius voluntatis & veritatis. Est autem duplex ignorantia: alia simplex, alia crassa & affectata. Simplex coram DEO excusationem invenit, sicuti Petrus Act. 2. v. 15. Judæis dicit: auctorem vitæ interfecistis: & nunc fratres scio, quia per ignorantiam fecistis. Paulus quoque de se faterur, 1. Tim. 1. v. 13. quod blasphemus, & persecutor & contumeliosus fuerit: sed misericordiam DEI consecutus sit, quia ignorans fecerit in incredulitate. Crassa autem & affectata, quando DEUS lucem verbi mittit, sed homines illam suscipere volunt, non excusat. Qualis hæc est Judæorum: ubi Christus, qui novit Deum, se offert, quod ejus notitia & ipsos imbueret velit. Ipsi verò hanc ejus gratiam carcere & cæde compensare volunt. Horum ergò damnatio justa. Rom. 3. v. 8. Nam hoc est judicium: quod lux venit in mundum, & dilexerunt homines tenebras magis quam lucem. Joh. 3. v. 19. De hac ignorantia agit Paulus Ephes. 4. v. 18. tenebris obscuratum habentes intellectum, alienati à vita DEI per ignorantiam, quæ est in illis, propter cœcitate cordis ipsorum, qui desperantes, semet ipsos tradiderunt impudicitia. 2. Quod de vera Christi dicitur, *quæ nondum venerit*, illud quivis Christianus, imprimis autem verbi ministri, qui in periculosis locis, sive ratione persecutionum, sive ratione pestis, DEO serviunt, sibi applicare debent. Quisque animo suo ipse secum staturat, Deum certum vitæ terminum ipsi præfixisse, qui si nondum sit præterlapsus, non posse ipsi adversariam vim nocere: sin assit, non posse se ulla fuga mortem avertere. Job dicit c. 14. v. 5. Breves sunt dies hominis, numerus mensium ejus apud te est: constituiti terminos ejus, qui præteriri non poterunt. Et David Psalm. 139. v. 16. In libro tuo Domine, scripti erant omnes dies mei, qui futuri erant, & nondum unus extabat ex illis. Sint ergò animosi concionatores tempore pestis. Si enim ne passer-

culis

culus quidem in oblivione est coram Deo, & si ne capillus quidem de capite desitit circa voluntatem Dei, quomodo integer homo periret, nisi tempus à Deo prædefinitum adesset? Angelis enim suis mandavit de talibus, ut ipsos custodiant in omnibus viis eorum. In manibus eos portabant: ne forte pedem offendant ad lapidem. Pf. 91. v. 11. Animosos autem ipsos esse jubeo, non audaces, qui citra necessitatem seipsum sive persecutioni sive pesti objiciant. Nam qui amat periculum, peribit in illo. Syr. 3. v. 27. Et tales terminum à Deo constitutum anticipare possunt, unde vulgaris versus.

*Decurrere (dies) tuum est, sed prolongare  
Tonantis.*

Timor Domini, non audacia, apponet dies, & anni impiorum breviabuntur. Proverb. 10. vers. 27. 3. Monstrat hic locus, ut & plures alii in Evangelio, quinam quovis tempore sint infensissimi Christi & ipsius Evangelii hostes. 1. *Pharisæi*, qui, elegantioris literaturæ, operum suorum meritis confidunt. 2. *Pontifices*, qui potentia armati, quæstum sibi interverti ægre ferunt. Hoc cum tempore Christi factum sit, quid miramur nostra ætate Jesuitas, Capucinos, Monachos, & reliquos hæreticæ pravitate Inquiritores, passim Evangelicis multum negotii facessere, eos ad Pontifices & Magistratus deferre, & hosce tum animare tum armare contra illos? Diabolus semper hanc fabulam lusit in mundo, inde ab initio, & ludet eandem ad finem usque. Sed in inferno cum suis pœnas dabit. Nam & hic 4. pœna horum persecutorum indicatur, quæ hac gradatione infligitur, quod 1. externis miseris involuntur, in quibus indigni sunt, ut ullum gratiæ divinæ gustum sentiant: quia Christum mediatorem rejecerunt. 2. Verbi luce privantur, quod solum ipsos consolari poterat. Proinde discurrunt à mari usque ad mare, tanquam famelici canes, quærentes panem verbi, sed non invenientes. Amos 8. v. 12. 3. E regno Dei ejeti sempiternis inferorum cruciatibus addicuntur. Matth. 8. v. 12. 4. Vicissim pro piis qui in mundo cum Christo premantur, ex hoc loco illa consolatio emergit. 1. quod *pussillum temporis* cum mundo sunt: postea per mortem in æternum ab eo segregabuntur. 2. Mors, quæ natura sua est pœna peccati, ipsis ex gratia in Christo fit *transitus ad Patrem*. 3. In cœlis tuti futuri sunt, ubi neque Diabolus, neque ipsius squamæ eos amplius infestare poterunt. 6. Denique hic videmus impleri illud Salomonis: quod impius timet, hoc venit super ipsum. Proverb. 10. v. 24. Judæi vel per sarcasum vel per invidiam dicunt, Christum habiturum *ad dispersionem Græcorum*. Ex innata superbia omnes gentes contemptim dispersas vocant, quasi ipsi soli essent populus cum Deo unitus, reliquis gentibus omnibus in diversas sectas dispersis. Non aliter, quam sicuti hodie Jesuitæ gloriantur, se cum Pontifice, Imperatore, Cardinalibus, Episcopis & reliquo pontificio clero unum conficere corpus Ecclesiasticum: Evangelicos vero cum suis principibus & auditoribus non posse in unum corpus coalescere. Sed omnino, quod Judæi metuerunt, hoc ipsis evenit. Nam Christus propterea mortuus est, ut filios Dei, qui erant dispersi, congregaret in unum. Joh. 11. v. 52. Postea omnino

*Harm. Tom. I.*

per Apostolos suos ad gentes abiit, easque Evangelii doctrina illustravit. Sicut Augustinus dixit: Iturus erat Dominus relictis Judæis ad docendum gentes, non præsentia corporis sui, sed tantum pedibus suis, hoc est, per membra sua. Et hæc ipsæ gentes in unum corpus collectæ sunt cum Christo, ut jam sint cives sanctorum & domestici Dei. Ephes. 2. v. 19. dum vice versa Judæi ex sua terra sunt ejeti, & inter omnes gentes dispersi.

Hæc sunt capita concionis, quam Jesus Hierosolymis in templo habuit, durante festo tabernaculorum. Quæ ipsam diversis diebus auditoribus suis proposuisse nullum est dubium. Quid autem quovis die docuerit, nemo certo affirmare potest, cum Evangelista de eo tacuerit. Ideoque unicuique arbitrarium esto, quomodo hæc membra doctrinæ inter dies distribuere velit. Præter tamen illa capita concionis etiam hoc notandum est, quanta fuerit dissimilitudo auditorum ipsius. Quidam mirantur: quidam rident: quidam calumniantur: quidam maledicunt, & dæmonium habere affirmant: quidam persequuntur, & apprehendere cupiunt: & tamen in tam tristi colluvie Christus suam habet Ecclesiam. *Multi enim de turba crediderunt in eum.* Quæ fides tum temporis adhuc valde infirma fuit agnitio, & languida fiducia: & tamen spiritus sanctus eam hic dignatur appellatione fidei.

Hæc notatio 1. docet Evangelium Christi nunquam sine fructu prædicari, licet multi contra fremant, & extrema quæque moliantur. Hoc docuit etiam Propheta Jesaias per parabolam pluvie & nivis. Jes. 55. vers. 10. Quinam autem illi sint, qui facillime omnium Evangelio manus dent, simul indicatur, quando dicitur: *multi de turba crediderunt in eum.* Neque enim multi sapientes, potentes & nobiles à Deo sunt electi: sed quod stultum, infirmum, contemptibile & ignobile est, hoc elegit Deus. 1. Cor. 1. v. 25. Non itaque ægre ferant verbi ministri, si & ipsi à potentioribus contemptim habeantur: Deo agant gratias, si modo quoad plebem labor ipsorum non inanis est in Domino. 1. Corinth. 15. v. ult. 2. At simul observandum, quæ ratione hi ad fidem sint inducti. Nimirum *signa, quæ Jesus edidit*, attenderunt, ea ad prædictiones Prophetarum, in primis autem Jes. 35. v. 5. contulerunt: & quia hæc inter se convenire vident, inde argumentantes, *Christus cum venerit, plura non edet*, concluderunt: Ergo hic Jesus est Messias. Si ergo, quando signa & verbum Dei conjunguntur, tum recte & in cognitione Christi & fide in ipsum informari possumus. Huc etiam Paulus respexisse videtur 1. Cor. 14. 22. quando dicit: *Lingua in signum sunt, non fidelibus, sed infidelibus prophetia autem (hoc est, sacra scripturæ interpretatio) non infidelibus, sed fidelibus.* Signa itaque ad verbum Dei sunt examinanda: quia etiam Antichristus venit in signis, & prodigiis, sed mendacibus. ad omnem seductionem iniquitatis. 2. Thess. 2. v. 9. De eo Deus præmonuit etiam Deut. 13. v. 1. si Propheta surgat, & signum vel portentum prædicat, homines autem à verbo Dei & vero cultu in eo comprehenso abducere velit: tum talem prophetam non esse audiendum. Si Antichristi Romani signa, dicta & facta, hoc modo ab omnibus diligenter ad normam sacra scripturæ examina-

rentur,

ferentur, longe firmius eum, quam hæc turba Christum agniture essent. Nam 4. qualis fuit hæc fides? Profecto valde infirma. Etenim neque ipsius personæ, neque officii ejusdem veram & solidam cognitionem habuerunt. Addit hoc magnam consolationem infirmioribus, quod Christus hos ob infirmitatem illam non abjecit. Hoc enim Jesaias de ipso prædixit: calamum quassatum non conteret, & linum fumigans non extinguet, Jes. 42 v. 3. Prima itaque fidei initia & rudimenta per spiritus sui gratiam quotidianis incrementis auctiora reddit, & facit, ut semen hoc sinapis excrescat in magnam arborem. Luc 13. v. 19. Temerarii itaque & ipso Christo severiores iudices atque

censores sunt illi, qui omnium fidem contemnunt, & quasi nihili faciunt, nisi cum adversariis super ea contendere, eamque adversus contradicentes omnes defendere possint. Interim tamen hi ipsi infirmi in Judæorum turba, fidem suam publice professi sunt, licet Phariseorum & Pontificum odium, quo Jesum extinctum cupiebant, non ignorarent. Hanc enim veram fidei notam Paulus ponit: ut quis ea, quæ corde credit, etiam ore confiteatur. Rom. 10. v. 9. Hoc cum Sacramentarii non faciunt, sed plerique fidei suæ confessionem accommodant, ad nutum illorum hominum, quibus convertantur: vel hoc unicum indicium esse debet, ipsos de fide sua non plane certos esse.

## CAPUT XCIX.

CONTINENS ACTIONES ULTIMI DIEI,  
IN FESTO TABERNACULORUM.

JOHAN. 7. v. 37.

## RATIO ORDINIS.

**D**E ratione ακολουθίας & consequentiæ prorsus nulla hic potest esse dubitatio, proinde textus mox apponatur.

HISTORIA ACTIONUM ULTIMI DIEI IN FESTO  
SCENOPEGLE.

- |  |   |
|--|---|
| 37. Ἐν τῇ ἐσχάτῃ ἡμέρᾳ τῆ μεγάλης τῆ εορτῆς εἰσήκει ὁ Ἰησοῦς, καὶ ἐκράζει, λέγων· εἰς τις διψᾷ, ἐρχέσθω πρὸς με, καὶ πινέτω.                   | 37. In novissimo autem die magno festi stabat Jesus, & clamabat, dicens: si quis sitit, veniat ad me & bibat.                             |
| 38. Ὁ πιστεύων εἰς ἐμέ, καθὼς εἶπεν ἡ γραφή, ποταμοὶ ἐκ τῆ κοιλίας αὐτοῦ ῥευσσῶσιν ὕδωρ ζῶον.  | 38. Qui credit in me, sicut dicit scriptum, flumina de ventre ejus fluent aque vive.  |
| 39. Τὸ τοῦτο εἶπε περὶ τοῦ πνεύματος, ὃ ἐμελλον λαμβάνειν οἱ πιστεύοντες εἰς αὐτόν, ὃ πῶς ἔπαυον πνεύματος ἀγίου, ὃ Ἰησοῦς ἔδεδωκεν ἑδοξάσθαι. | 39. Hoc autem dixit de spiritu, quem accepturi erant, credentes in ipsum. Nondum erat Spiritus sanctus, quia Jesus non erat glorificatus. |
| 40. Πολλοὶ ἐν ἐκείνῳ ὄχλῳ ἀκούσαντες τὸ λόγον, ἔλεγον· ἴσως ἔστιν ἀληθὴς ὁ ποροφήτης.  | 40. Multi ergo de turba cum audissent hunc sermonem dicebant. Hic est vere Propheta.  |
| 41. Ἄλλοι ἔλεγον· ἴσως ἔστιν ὁ χριστός· ἄλλοι δὲ ἔλεγον· μὴ γὰρ ἐκ τῆ βασιλείας οὗτοῦ χριστοῦ ἐρχεται;   | 41. Alii dicebant: hic est Christus. Quidam autem dicebant: num a Galilea Christus venit?   |
| 42. Οὐχί ἡ γραφή εἶπεν, ὅτι ἐκ τοῦ σπέρματος Δαβὶδ, καὶ γὰρ τοῦ βηθλεέμ, τῆ κώμης, ὅπου λέγουσιν Δαβὶδ, ὁ χριστός ἐρχεται;                     | 42. Nomen scripturæ dixit: quod ex semine David, & de Bethlehemi castello, ubi erit David, Christus venit?                                |
| 43. Σχίσμα οὖν ἐν τῷ ὄχλῳ ἐγένετο δι' αὐτόν.   | 43. Dissensio itaque orta est in turba propter eum.   |
| 44. Τινὲς δὲ ἤθελον ἐξ αὐτῶν παῖσαι αὐτόν, ἀλλὰ οὐδεὶς ἐπέβαλεν ἐπ' αὐτόν τὰς χεῖρας.  | 44. Quidam autem ex ipsis volebant apprehendere eum, sed nemo coniecit in eum manus.  |
| 45. Ἦλθον οὖν οἱ ὑποφάρισαί, καὶ οἱ δόκτορες καὶ οἱ Φαρισαῖοι, καὶ εἶπον αὐτῷ· ἐκείνους· τίς τὸν ἔδωκεν τὸ ἐπιτιμᾶν αὐτόν;                     | 45. Venerunt ergo ministri ad pontifices & Phariseos, & dixerunt eis illi: Quare non adduxisti illum?                                     |
| 46. Ἀπεκρίθησεν αὐτοῖς λέγων· οὐδέποτε ἕως ἐλάλησεν αὐτῷ ἄνθρωπος, ὡς γὰρ εἶπεν ὁ ἀπόστολος.   | 46. Responderunt ministri, nunquam sic locutus est homo, sicut hic homo.  |
| 47. Ἀπεκρίθησεν οὖν αὐτοῖς οἱ Φαρισαῖοι· μὴ καὶ ὑμεῖς πεπαιδευμένοι;   | 47. Responderunt ergo eis Pharisei, numquid vos seducti estis?  |
| 48. Μὴ τις ἐκ τῶν ἀρχόντων ἠπίστευσεν εἰς αὐτόν, ἢ ἐκ τῶν Φαρισαίων;   | 48. Num quis ex principibus credidit in eum, aut ex Phariseis?  |
| 49. Ἀλλ' ὁ ὄχλος οὗτος, ὃς οὐκ ἔγνωκεν τὸ νόμον, ὁππότε ῥα τὸ ἐπιτιμᾶν αὐτόν.  | 49. Sed turba hæc, quæ non novit legem, execrabilis sunt.   |
| 50. Λέγει Νικόδημος πρὸς αὐτούς, ὃ ἐλθὼν νυκτὸς πρὸς αὐτόν, εἰς ὧν ἐξ αὐτῶν.   | 50. Dicit Nicodemus ad eos, is qui venerat ad eum nocte, qui unus est de numero eorum.  |